BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XLVIII
C
23
NAPOLI

XLVIII
C
ſſf 23

Quam bene Apibus ternis.
conueniunt TRIA LILIA

LILIA
seu
FLORES GALLIÆ
SANCTÆ.

Vitas aliquot complexa SS. Gallorum, aut eorum qui Sanctitate ſuâ Galliam illuſtrarunt, ex omnibus fermè ordinibus, tam Eccleſiaſticis quā Laicis.

Auctore R.P. IACOBO RINALDO
Societatis IESV.

Sancti tui Domine florebunt ſicut LILIVM.

DIVIONE
Apud PETRVM PALLIOT
Typographū Regis bibliopolam et Calcographum. Sub ſigno Regis ... ante Palatiū
Regis
Cum Privilegio ... et Aprobatione

Nonne videtur indignum, cùm Sanctorum pulueres thecis aureis veſtiantur, pretioſo lapide adornentur, ſi ſordidè eorum geſta & negligenter habeantur.

Paſch. Radbertus in Præfatione ad hiſt. Paſſionis SS. Rufini & Valerij.

EMINENTISSIMO
ET
REVERENDISSIMO
PRINCIPI
ANTONIO CARDINALI
BARBERINO
S. R. E. CAMERARIO,
GALLIARVM
PROTECTORI.

APIBVS tuis FLORES affero EMINENTISSIME CARDINALIS, VIRGINIBVS, LILIA: non Iunonio la-

ete, ſed agni myſtici, vel etiam ſuo ipſorum, quod mireris, Sanguine candida; nimirum è LILIATA noſtra GALLIA viros aliquot aut martyrio, aut ſanctitate illuſtres. Quos cui potiùs oblatos velim, quàm ſacro Gallorum Protectori & apibus Barberiniis? Cùm apibus ſubeſſe ſoleant flores è cœlo in terris nati, quidni tuis ſubſint gentilitiis, quos hîc damus, Gallici è terris cœlo redditi? & viui cùm geſtiant Galli tam ſacra & potenti protegi dextera, quídni & idem aueant mortui, aut rediuiui? Hoc vt optent PRINCEPS EMINENTISSIME, præter illuſtriſſimæ familiæ tuæ ſplendorem, ſacræ dignitatem purpuræ, & immen-

ſum à Sanctiſſimo tuo patruo affuſum decus, facit inſignis pietas tua, quâ cùm Diuorum ornes templa, & aras magnificentiſſima tegas manu, in ſpem veniunt fore vt eâdem protegas eorum geſta, & hæc aliis addas, quæ ſeruas LILIA: facit & EMINENTIÆ TVÆ beneuolentia ſingularis in Societatem noſtram, quam anno eius centeſimo, iis in Vrbe affeciſti honoribus, vt vice CLAVI AVREI, quo primum eius notares elapſum ſæculum, APES illi tuas AVREAS ſtudio & gratia affixeris. Inde enim ominantur à tam beneuolis apibus ſe receptum iri vt flores in quos amanter idemtidem aduolant animi gratia, aut ſacri mel-

lis legendi. Quod licet copio-
ſum iis ineſſe cupiam, non mi-
nus tamen opto habere ceræ,
cui, altiſſimo charactere inſcribi
poſsim

EMINENTIÆ TVÆ

Deuotiſsimus atque addictiſsimus
IACOBVS RINALDVS
è Societate IESV.

LECTORI
PIO
MONITVM.

AD hæc Lilia *ſis candidus (mi Lector). Procul venenum; Cauent hoc* Lilia, *quæ ſerpentes arcent. Apis veni, non quæ pungas, ſed quæ mella legas; Jn his floribus multa & cæleſtia reperies, quæ puro animæ ſapiant palato. Sed fuge multa vno legere impetu, ne multa legendo, nihil legas: neque feſtinanti percurras oculo, ni te fugere velis, quæ fugiendo quæris. Mentis ardorem*

contrahe vt hæc contracta videas, dilata vt credas. Si pauca sũt, memineris eſſe lilia, quæ hoc volunt, vt odore ſint gratiora; ſi diſtincta notis; ne obſcura ſint, & lilia eſſe deſinant. Si aliis aſperſa floribus, florum Reges ſunt Lilia, quorum aulici, cæteri debent eſſe flores: ſi verò minùs venuſtè cõpacta, quod fateor, calami peccatum eſt, quod ſpero te facile condonaturum, ſi naturam ipſam attenderis lilia facere condiſcentem in alios aberraſſe flores. At ſi nihilominus non ingrata ſunt, ſcias velim hæc è multis pauca à me præmiſſa fuiſſe vt ſequentium ſint ſemina, quæ probantibus ſuperis, de mediis Galliæ Sanctæ ſelecta floribus, ſum daturus. His interim fruere & vale.

SYNOPSIS
HVIVS LIBELLI.

PRIMÆ PARTIS.
CAP. PRIMVM.
HIERARCHÆ.

SANCTVS LEO IX. *S. Martinus IV.* *B. Benedictus XII.*	Pont. Max.
B. Petrus Luxemburgius,	Cardinal.
S. Petrus Thomas,	Patriarcha.
S. Dionyſius Areopagita, *S. Eucherius* Lugdunenſis, *S. Geneſius* Lugdun.	Prim. Gall.
S. Sulpitius Pius, *S. Guilelm.* Bituricenſis,	Prim. Aquit.
S. Remigius Remenſis,	Archiepiſc.

S.Arator, Virdunenſis
S.Aldricus, Cœnomanenſis
S.Albinus, Andegauenſis
S.Amandus, Tungrenſis
S.Auctor, Metenſis
S.Bonitus, Claromont.
S.Clemens, Meten.
S.Eucherius, Aurelianenſis
S.Germanus, Antiſſiodor.
S.Germanus, Pariſienſis
S.Goerricus, Metenſis
S.Hugo, Gratianopolitan. } Epiſcopus.
S.Hilarius, Pictauienſis
S.Lupus, Trecenſis
S.Memmius, Catalaunenſis
S.Praiectus, Claromontan.
S.Patiens, Metenſis
S.Paulus, Virdunenſis
S.Proſper, Regienſis
S.Pulchronius, Virdun.
S.Sidonius, Claromont.
S.Vedaſtus, Atrebatenſis
S.Vitonus, Virdunenſis

S Seuerinus, Agaunen.
S.Odilo, Cluniacenſis } Abbas.
S.Adelardus, Corbienſis
S.Clarus, Lugdunenſis

S. Bernardus, Clareuall.	Abbas.
S. Aderaldus, *S. Leodegarius*,	Canonicus.
S. Odulphus,	Sac. Paroch.
S. Benignus, *S. Lucianus*, *S. Goarius*,	Sacerdos.

CAPUT II.

ORDINES SACRI.

SAnctus Guilelmus, *S. Othilia*,	Auguſtin. Canon.
S. Antoninus,	Aug. Eremit.
S. Hugo, *S. Aldegondis*, *S. Auſtreberta*,	Benedictin.
S. Bruno,	Carthuſian.
B. Ioannes Soretius,	Carmelita.
S. Robertus,	Ciſtercien.
B. Reginaldus,	Dominican.
S. Auentinus, *S. Theobaldus*, *S. Lannomarus*,	Eremita.

B, Robertus de Arbruſcellis,	{ Font.Ebraldi
S. Ludouicus,	{ Franciſcan.
S. Stephanus,	{ Grādimont,
S. Guilelmus,	{ Guilelmita.
S. Ignatius,	{ Ieſuita.
S. Franciſcus Paulanus	{ Minimus.
S. Norbertus,	{ Præmonſtr.
B. Agnes,	
S. Ioannes de Matta,	{ Tinitarius.

II. PARTIS.

CAP. PRIMVM.

PROCERES ET NOBILES.

S*anctus Carolus Magnus*, *Ludouicus Pius*, *Lotharius Pœnitens*, *Carolus Craſſus*,	Rex & Imp.
D. Agnes, *S. Richardis*,	Auguſta, ſeu Imperatrix.
S. Sigebertus, *S. Ludouicus*,	Rex.
S. Batildis, *B. Ioanna Valeſia*,	Regina.
S. Romaricus, *B. Iſabella*, *S. Gudila*,	Princeps.
S. Euerardus, *S. Itta, ſeu Iduberga*,	Dux.
S. Elzearus, *B. Ioan. Britannica*,	Comes.
S. Rochus,	Vir nobilis.

S.Columba,	Virg. nobilis.
B.Philippa,	Pediſſeq. nobilis.

CAPVT II.

OFFICIALES PALATINI.

SAnctus Pipinus,	Maior-dom. ſeu Mag. pal.
S.Vandregeſilus,	Comes-ſtab.
S.Geremarus,	Conſil.Reg.
S.Rado;	Præf.Ærar.
S.Maurontus,	Mag.Saltuar.

CAPVT III.

BELLI ADMINISTRI.

SAnctus Gengulphus,	Summ.milit. Præfectus.
S.Gerlacus,	Trib.milit.
S.Sebaſtianus,	Dux cohort.
S.Arnulphus,	Miles.

CAPVT IV.

IVSTITIÆ ADMINISTRI ET VIRI FORENSES.

SAnctus Romanus,	Cancellar.
S. Gregorius,	Præſes.
S. Liphardus,	Iudex.
S. Iuo,	Patron. ſeu Aduocat.
S. Geneſius,	Scriba.

CAPVT V.

FAMILIA SACRA.

SAnctus Vincentius,	Pater-famil.
S. Rictrudis,	Materfamil.
S. Godolena,	Coniugata.
S. Genoueſa,	Virg. priuat.
S. Iuſtus,	Filius-famil.
S. Manna,	Filia-famil.
S. Adrianus, *S. Serenus,*	Seruus.
S. Blandina,	Ancilla.

APPROBATIO DD. Facultatis Pariſienſis.

LILIA hæc ex GALLIÆ SANCTÆ hortorum areolis; *à R. P. Jacobo Rinaldo Societat. IESV decerpta :* Nos infraſcripti Doctores Theologiæ, Facultatis Pariſienſis, legimus ſummâ cum animi voluptate, & digna duximus, quæ typis mandarentur, vt pote quæ nihil bonis moribus, aut fidei Catholicæ contrarium contineant. Datum in ædibus noſtris, Anno Domini M.DC.XLI. die vltimo Octobris.

G. PARENT, *Eccl. Remenſis Decanus.*

L. LADAME, *Ordinis ſancti Franciſci, in Conuentu Remen. Gardianus.*

LILIORVM
SEV
FLORVM GALLIÆ SANCTÆ
PARS PRIMA
DE ECCLESIASTICIS.

CAPVT PRIMVM.
HIERARCHÆ.
S. LEO IX. PONTIF. MAX.

QVIS [1] Tullum Leucorum ſacram non dixerit Siluam, cùm Apros, Lupos, & Leones aluerit Sanctos? [2] Aprum admiſit è Campania: Cam-

paniæ [3] Lupum repoſuit, Romæ conceſſiſit [4] Leonem : quem nobilitate principem, Antiſtitem dignitate, vitâ & moribus ſanctum, Deo & Cœlitibus tam charum, quàm [5] inuiſum tartareis hoſtibus, Romanæ dedit ſedi, nonum eius nominis Pontificem, vt quæ fecerat agnus in Galliæ angulo, toti orbi cōſpicuus faceret Leo. Ille tamen quo minùs tam altè conſcenderet, enixè obſtitit; [6] peccatorum obiecit pōdera, ſed fruſtra, quòd nimis leuia fuêre. Quare Romam adire coactus, mendicum induit, vt homines lateret. Sed quæ ſolem nunciat, & ſalutat accedentem, non latuit auem [7] Gallus enim Gallinaceus eum tanquam alterum ſenſit orbis ſolem, & futuris Papæ ac Leonis nominibus ſaluere iuſſit. Vt Romam venit, deſiit fingere: verè mendicus fuit: imò non deſiit, ſed qui latuerat in via ſub

mendico Pontifex, latuit in terminó, ſub Pontifice mendicus. Nam in arcis Pontificiis cùm reperiſſet nihil, & abſumpſiſſet in expenſas viæ, & largitiones ſanctas, quas ſecum tulerat pecunias, in ſummam ſimul poteſtatem aſcendit, & in imam decidit [8] paupertatem. Pontifex renunciatus, meritò Leonis [9] nomine dici voluit, quòd hirſutus pilis, hoc eſt, Cilicio, ſemper inceſſit; apertis vigil dormiit oculis, in nuda humo, & ſaxo: Ciuitatem & loca ſacra, ſeu Religione præcipua circumiit noctibus, ſed pſallens & orans; ſtygiis terrorem incuſſit belluis, & monſtra diſcerpſit quàm plurima; [9] Simoniacæ præſertim hæreſeos, & [10] arrogantiæ non ferendæ: At in eo maximè Leonem ſe præbuit, cùm per medios [11] hoſtes tranſiit intrepidus, & feram exutos, genibus ſuis aduolui, dictóque au-

dientes eſſe imperauit. Timere non poteſt, qui poteſt omnia, nec frangi metuit, qui ſolo tactu [12] effracta reſtituit. Quod autem poſt mortem, inter ſydera fulſit hic Leo, Leoni cœlum rependit Chriſtus, cui ſub viliſſimo [13] leproſi ſchemate lectum olim ſuum Pontificium ceſſerat Leo. Hunc ſi demeriti fuerimus Leonem mortuum Samſones erimus, mella ex eius ore legemus.

NOTÆ.

Non te pigeat, mi Lector, has Notas percurrere, multam affundunt lucem tenebris, quas ſtyli breuitas induxit.

1 T*Vllum Leucorum.*] Gallicè *Toul*, Gallicæ ditionis oppidum, Lotharingiæ conterminum.

2 *Aprum.*] S. Aper, vulgò *Evre*. Campanus fuit, 7. Epiſcopus Tullenſis, è viculo Tranquillo, Gall. *Trancaut*, nouem milliaribus Gallicis, ab

vrbe Tricaſſina diſſito. *Ex Miſc. hiſt. Camuſati*.

3 *Lupum.*] S. Lupus Tullenſis,Trecenſis Epiſcopus, circa annum 426. *Camuſatius in Epiſcop. Trecenſ.*

4 *Leonem.*] Antea Bruno dicebatur, Alſatius patriâ (Ciacono Francus Gallus) filius Hugonis Comitis è Regio ſanguine electus Pontifex, ann. 1046. *Vibertus in vita huius Pontif. Ruyrius præcentor, Deodatopolitanus in antiquit. ſacris Voſagiæ.*

5 *Inuiſum*, &c.] Dæmon bufonis ſpecie, dormientem penè occidit, cùm eſſet adoleſcens. *Vibertus c. 5.*

6 *Peccatorum*, &c.] Ne Pontif. ſummus crearetur, poſt triduum, quod ſine cibo & potu tranſegit, peccata ſua publicè cum lacrymis aperuit. *Ruyr. c.* 11. *Vibert. c.* 2. *l.* 2.

7 *Gallus Gal.*] Beneuenti, frequenter in hanc vocem erupit, Leo Papa *Vibert. ibidem.*

8 *Paupertat.*] Tanta fuit eius paupertas vt comites ſtatuerint venditis veſtibus, clam fugiendo benigniſſimum patrē in patriam reducere. *c.* 5. *l.* 2.

9 *Simoniacæ.*] Præcipuè Hugonem Lingonenſem pro quo dicturus Hugo Veſontinus, miraculo obmutuit coram Pontif.

10 *Arrogantiæ.*] Vigonem Epiſcop. Friſingenſem qui cum dixiſſet velle ſibi guttur abſcindi, ſi de ſede Leonem non deturbaret, eodem momento ingenti gutturis dolore affectus eſt, & impœnitens tertio die animam efflauit. *Vibert. c.* 7. *l.* 2. Idem ferè contigit Archiep. Rauennati. Ibidem.

11 *Hoſtes.*] Normannos Apuliam deuaſtantes,

qui eius confidentiâ attoniti, mutarunt animos, illumq; ſponte diu ſunt comitati. *Ruyr. c.* 27.3.*p.*

12 *Effracta,* &c.] Vas fictile magni pretij ab Herimaro Abbate S. Remigij Remenſis ipſi Pontif. dono datum, ſed à quodam è domeſticis ſuis caſu fractum, vbi tetigit, in priſtinum ita reſtituit ſtatum, vt nullum fractionis veſtigium apparuerit.

13 *Leproſi.*] Quem in area Palatij ſui repertum ſuis intulit humeris in lectum Pontificium, ſed poſtea quæſitum non inuenit, obſeratis licet foribus. *Ruyr. c.* 29. 3. *p.*

B. [1] *MARTINVS II. vulgò IV. Pont. Max.*

EX theſauro diui Martini Turonenſis [2] educta hæc Pontificum gemma, mirum quantum ſplendoris Apoſtolicæ Sedi, in qua collocata eſt, contulerit. Sacro ærario, quod theſaurum vocant, præfectus erat Martinus, cùm ad ſacram purpuram, inde ad ſummum vocatus

eſt Pontificatum, vt inexhauſtis Eccleſię præeſſet theſauris. In eo munere Martini nomen ſibi fecit, à Diuo patrono ſuo, ne ab eo diſcreparet nomine, quo cum illi moribus conueniebat, generoſo præſertim animo, & in pauperes charitate. Quorum alterum non obſcurè innotuit, cùm intonuit Martinus, & præalta capita [3] Arragonium Regem, imperatorémque [4] Palæologum Pontificio feriit fulmine; [5] germanúmque ſuum virum nobilem in Galliam redire iuſſum, nullis onerauit muneribus, ne ſuam ipſius fortè oneraret conſcientiam, & eodem quo ſuos ornaret auro, ipſe ſorderet. Alterum in maxima annonæ caritate enituit, cùm numeroſum pauperum gregem pane in dies pauit, eóque candido, quia Chriſtum ſe alere dominum non mendicum, aut mancipium putaret. Quod in mendicos ignobiles

palam, hoc ipſum clam erga nobiles præſtitit egenos, quibus vltro, remotis arbitris, multum ſæpe ingeſſit aurum, ne illis degeneres animos faceret paupertas, & ſub viliſſimis vitiis mererent nobiles, qui à virtute ſtipendia acciperent. Auditis Siculis [6] Veſperis, non diu poſt modum aſpexit lucem, aut longa illi fuit dies; ſtatim decubuit: Pupugit enim gladius Siculus intima Sanctiſſimi patris viſcera, & mitiſſimi [7] agni pectus confodit [8] manus [9] Læſtrygonica, quâ necdum natis, vnico vulnere, duplex vita prærepta eſt, temporalis & æterna. Antè quàm tamen decederet, in ſublimi loco piè demiſſum ſe habere probauit animum. nam quòd ſibi ipſi nimis videretur magnús, MINOR eſſe voluit, ſumptâ fratrum Minorum pannosâ veſte: quâ virtutes texit plurimas, humilitatem ſuam detexit: Cuius ope anguſtam

ſubiit portam,quâ itur in cœlum,vbi portionem ſuam obtinuit(vti ſuo optauerat [10] lemmate) in terra viuentium. Hoc ipſum affirmarunt ab ipſo edita miracula;nam poſt mortem quæ Perüſij contigit anno 1285. Pontificatus IV. oculos cæcis reddidit,è quibus ſuæ habuit apud Deum poteſtatis. TESTES OCVLATOS.

NOTÆ.

1 M*Artinus.*] Antea Simon Monpincius vel de Bria,nobilis. Campanus Gallus Ciacon.l.de Pontif.ex oppido Montepincio,Gall. *Monpincé en Brie. And.Quercetanus in hiſt.Pontif.*

2 *Eduᵭa.*] Creatus fuit Cardinal.anno 1263. ab Vrbano IV. Pontifex verò Max. anno 1281.

3 *Arragon.*] Petrum, quòd cæſis Gallis, Siciliam contra Carolum ex Regio Gallorum ſanguine oriundum occupaſſet.

4 *Palæol.*] Michaelem,quòd Concilij Lugdunenſis decreta non ſeruaret. *Eberard. in Chron.*

5 *Germanum*,&c.] Hunc ſine muneribus remiſit, dicens Eccleſiaſtica bona ſibi à Deo commiſſa malè diſpenſare nolle. *Platin.*

6 *Siculis Veſperis.*] 1. Strage Gallorum militum à Siculis factâ, ad primum Veſpertinarum precum ſignum, feriâ 2. poſt Paſcha, vel ipſo die Paſchatis. (vt vult Genebr.) Plat. Æmilius l. 7. Cæſi omnes Galli, exceptis iis, quos arx munitiſſima Spirlinga defendit. *Genebr.*

7 *Agni.*] Agnum vocarunt oratores Siculi, qui Gallorum obſidentium iram metuentes, ad Pontif. venerunt; & vt pacem eius ope obtinerent, his verbis ter repetitis, in publico conſiſtorio togarunt; *Agnus Dei qui tollis*, &c. quibus ter reſponſum (*Aue rex Iudæorum, dicunt Iudæi CHRISTO, & dabant ei alapas*) præterea nihil.

8 *Manus.*] Quâ nec dum nati, in maternis viſceribus occiſi ſunt, ne quid Gallicæ gentis in Sicilia ſupereſſet.

9 *Læſtryg.*] Siciliam primi tenuêre Læſtrygones immanes & ἄξενοι. *Bertius in tab. Geograph.*

10 *Lemmate.*] Martini lemma fuit; *Portio mea Domine, ſit in terra viuentium.*

Ex Ciacon. lib. de Pontif.

B. BENEDICTVS XII.

EPISTRINO Furnus, è molitore Epiſcopus, è fonte frigido vir ad omnia virtutum opera feruentiſſimus. [1] Benedictus huius nominis XII. qui ante Pontificatum Iacobus Furnus nuncupatus, patrem habuit in agro Toloſano molitorem aut piſtorem. Ex monacho [2] Bolbonio frigidi [3] Fontis Abbas, pietatem inter ſuos frigere non eſt paſſus, ſed ex eo fonte coactus emergere, prodiit [4] Epiſcopus, & Cardinalis [5] albus, (tamdiu in ſuo fonte lotus molitoris filius, Ciſtercienſis monachus, nullo rectiùs nomine inſigniri potuit,) & tandem ad ſummi honoris apicem aſcendit; vt tum altè euo-

laret, carnem exuit; [6] oculos enim quibus propinquos, aut affines agnoſceret, non habuit, aut quibus eos ditaret manus. Sororis ſuæ filiam vnicam, quam mercatori Toloſano, neque adeo diuiti, [7] Spretis magnatum, qui eam expetebant, nuptiis, nubere voluerat, Auenionem cum marito accedentem, accepit vt priuatus, benedixit vt Pontifex, donis vacuam dimiſit vt Sanctus, pedem illi porrexit ad ſacrum oſculum, non manum ad fundendum aurum, quòd aurum ſacrum à muliere tangi ſit nefas. Sed quàm parcus ſuis, tàm largus aliis fuit Chriſti causâ: vt enim Romanis fame pene enectis frumentum creſceret, in eorum manibus ſeptemdecim ſeuit millia florenorum, non ſecus ac ſacris ędibus cum tempore pugnantibus, auxiliares miſit copias millium quinquaginta. Quibus largitionibus

animam ſuam, quam Spiritus Sanctus mundiſſimam indigitauit [8] arcam, impleuit, cùm arcas nummarias vacuas fecit. Vt animum ſtudioſè deiiceret, & ad cęteras virtutes ſuas humilitatem quoque adderet, [9] molâ vſus eſt paternâ, quam ſemper volvit animo quoad vixit. Vnde nihil mirum, ſi [10] aſinum ſe eſſe diceret, hoc ſuaſerat quàm volvebat mola. Sed demiſſo licet animo fuerit ex virtutis præſcripto, magno tamen fuit & erecto, cùm res poſtulauit: Philippo Valeſio Gallorum Regi nonnihil petenti quod nō ita videbatur ęquum, tanti Regis præſentiâ nihil motus, negauit fortiter, quòd vnicam ſe habere diceret animam, quam à Deo acceptam, illi omnino ſeruatam vellet. Eodem animo virtuti purpuram iniecit ſacram, [11] vitiis ruborem, cùm [12] ſex aut ſeptem tantùm, vitæ probatiſſimæ vi-

ris illam contulit. Inter quos ſi eius reſplenduit ex fratre nepos, veſtes ei non tinxit [13] ſanguis ſed virtus, & ſeriùs auditę ſacri collegij preces. Quod ſpectat ad [14] miracula, fecit mortuus plurima, imò & viuus; cœcum enim ſanauit, ſcilicet in ſuos amorem; & claudicantes nonnullos [15] Religioſos ordines, rectiùs in poſterum incedere imperauit.

Talibus an dubium eſt poſt mortem à Chriſto dici: *Venite Benedicti*, &c.

NOTÆ.

1 B*Enedictus.*] Huius nominis XII.. aliàs Vndecimus, ita Genebr. Platina; à S. Benedicto Patriarcha ſuo denominatione ſumpta, antea Iacobus Furnus, vel *du Four*, ex oppido Sauarduno in agro Toloſano. *Menald. in Martyrol. Benedict.*

2 *Bolbonio.*] Bolbonum Monaſterium Ciſtercienſis Ordinis apud Vaſcones. Maxima eſt contentio inter Patres Ciſtercienſes & Carmelitas de

hoc beato Benedicto, quem vtrique ſuum eſſe dicunt, ſed facilè meo iudicio tota lis dirimi poteſt. Nam PP. Carmelitæ Benedictum eſſe ſuum volunt, quòd in Epitaphio quodam Romano legant. *Hîc iacet Benedictus, quem Carmelus protulit, Caſſinus aluit, Vaticanum coronauit.* Quæ omnia non conueniunt B. Benedicto XII. Primò, quia non iacet Romæ, ſed Auenione, vt conſtat ex Bzouio, Vvion & Henriquez. Secundò, dicitur Ordinis Ciſtercienſis in Collegio Pariſienſi ab ipſo fundato. Tertiò, Roma non coronauit, ſed Auenio. Conueniunt autem Benedicto V. Pontifici Sancto & martyri, quem Carthagena lib. 27. de arcanis Deiparæ fuiſſe, Carmelitam aſſerit, & à Caſſino nutritum. i. redditibus Abbatiæ Benedictinæ quâ donatus fuit: Item à Vaticano coronatum, quia Pontifex, Romæ creatus fuit. Hamburgi autem in Germania mortuus eſt, quo fuerat à Lothario Imp. in exilium miſſus. Sed eius corpus anno 999. relatum eſt Romam, à quodam Racone. Ita Ditmarus apud Chryſ. Henriq. in faſciculo SS. Ordinis Ciſtercienſis. lib. 2. diſt. 4.

3 *Fontis frigidi.*] Monaſter. Ciſtercien. Ordinis in Vaſconia Vvalſinganus. Henriq. Ciacon vocat montem frigidum.

4 *Epiſcop.*] Primò, Apamienſis. Gallicè *de Pamiers.* Secundò, Mirapicenſis, Gall. *de Mirepoix.*

5 *Albus.*] Dictus eſt Cardinalis Albus. An à patris farina, an à veſte Ciſtercienſi, dubio eſt locus.

6 *Oculos.*] Aſſerebat Pontif. Max. conſanguineos non habere,& Sacerdotem ſecundum ordinem Melchiſedech, (ſi is eſt qui eſſe debet) ſine Patre, ſine matre, ſine Genealogia eſſe debere. *Cardin. Ægid. Viterbien.* Rogatus item ſæpe à multis, vt conſanguineis aliquid largiretur, reſpondere ſolitus erat; ſi *Mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero*,&c.Patrem item ſuumHoloſericis veſtitum videre noluit, quoad veſtes illas exutus, alias ſumpſiſſet, quales molitor ferre conſueuerat. (*Cæſar Noſtradamus in Hiſt. Prouinciæ, pag.* 361.

7 *Spretis*,&c.] Dictitans tantum ephippium tam vili equo non conuenire. *ex M. S. Biblioth. Fuxen. apud Boſquetum.*

8 *Arcam*,&c.] Narrat Albertus Argentinenſis in Chronico, Sanctum quendam Epiſcopum Italum,cùm veniret in Galliam, ad Pont.Ioan.XXII. audiuiſſe in ſomnis vocem dicentem; *Papam quæris, non eſt.* Et paulò poſt; *Vis videre Papam: Ecce iſte eſt* (oſtenſis Cardinali Albo, qui poſtea dictus eſt Benedictus, & arcâ mundiſſimâ ſed vacuâ,quæ illum adumbrabat.)

9 *Mola.*] Pro Gentilitia teſſera, accepit molam, vt animo & memoriâ ſemper volueret.

10 *Aſinum.*] Vbi reſciuit electum ſe eſſe Pontif. Max. Cardinales papam aſinum creaſſe dixit, ſed ex humilitate, Doctor enim erat eximius, & doctorali Laureâ donatus, in celeberrima Pariſienſi Academia. (*iacon Henriq.*

11 *Vitijs Ruborem*] Adeo conſtans fuit, vt nunquam

nunquam minis, aut precibus, aut quâcunque aliâ ratione, à recto abduci potuerit; præcipuè vt indignis ſacerdotia conferret, aut honores, dicens ſe nolle lutum ornare.

12 *Sex aut*, &c.] Dicebat cætera condonari poſſe Pontificibus, id autem vnum crimen veniâ indignum, ſi in ſenatu legendo peccauerint, *Ægid. Card. Viterb.*

13 *Sanguis*, &c.] Hunc ſanctum Pontif. Imitatus Vrbanus VIII. patruus tuus, quem iure meritiſſimo totus colit orbis, & ſuſpicit vt omnium Quos plurima retro ſæcula viderunt, Pontif. Maximorum maximum, Pietate, doctrinâ, & in rebus agendis prudentiâ, te (*Antoni Eminent. Cardin*) fratremque tuum natu maiorem, ſacrâ donauit purpurâ quam vobis virtus & nobilitas, non ſanguis, tinxit.

14 *Miracula*, &c.] Verba ſunt authoris Vitæ illius; *Si fas ſit ſcribere, poſt martyres & alios quos Eccleſia veneratur & colit vt ſanctos, inter meliores, ipſe vnus fuit*, &c. *mortuus eſt anno.* 1342. 25. *April. Pontificatus* 8. *ſepultuſque eſt in Eccleſia maiori Auenionenſi, in qua adhuc iacet* &c. ETIAM MIRACVLIS CORVSCANDO vide Menard.

15 *Religioſos Ordin.*] Monachos nigros & Ciſtercienſes, *Conſtit. Benedictin.*

BEATVS PETRVS Luxemburgius Cardinalis.

ILLVSTRIBVS licet, ſanguini & purpuræ ſplendorem addidit [1] Petrus, cùm vtrique ſtupendæ ſanctitatis acceſſionem fecit: cuius naſcentis initia aut flores, fuere roſæ, quas adultâ hieme, in ſinu ſuo protulit puer nouennis: Domi ſubreptas deferebat carnes pauperibus (quibus alendis à puero fuit totus) cùm [2] à parente deprehenſus & rogatus quid ferret, erubuit, roſáſque ſe ferre ſubiecit. Ferebat in vultu quidem, ſed apparuere & in veſtis pendulæ ſinu. Caro enim in roſas abiit, quibus explicatis & ridentibus, arriſit pater, qui acceptas intu-

lit in cubiculum, dum puer altius in animum demittit. Ex his floribus orti ſunt fructus, & ver tam ſacrum æſtas ſanctiſſima excepit. Nam illius adeo in poſterũ incaluit pectus, vt ſe ipſum, & [3] ſororem biennio maiorem, in Chriſti amorem inflammarit. Ad ſtudia miſſus litterarum Lutetiam Pariſiorum, plus ſtuduit neſcire ſe, quàm alia omnia ſcire. In quo quantum fecerit progreſſum, publicè probauit B. Virginis Pariſienſis adlectus Clero. Abnuebat Iunior quidam canonicus, qui Chriſti crucem animo non ferebat, eiuſdem Signum manibus in ſupplicatione publica pręferre, quid ad hæc Princeps noſter? aduolat; & ſalutis noſtræ labarum ambabus amplexus manibus, præit greſſu, & exemplo, tam Chriſti humilis & patientis ſignifer, quàm humilitatis. Metenſi donatus Epiſcopatu quin-

decim annorum adoleſcens, ad oues continuò cucurrit paſtor,& ouile ingreſſus, imberbis quidem, ſed canus moribus apparuit; patrémque ſe præbuit & paſtorem, cùm è duabus redituum partibus pauperem pauit gregem. A Clemente VII. (qui Pontifex haberi volebat) Auènionem vocatus, & Cardinalitiâ indutus purpurâ, erubuit veſte & pudore, quòd tanto honore indigniſſimum ſe putaret humilitatis portentum. Decem tantùm menſes, tam dignus, quàm inuitus exteriorem illam geſtauit purpuram; interiorem verò, pellem videlicet ſuo cruentatam ſanguine ciliciis & flagellis educto,annos decem; (vbique ab illo repetente decimas morte.) A tenerioribus enim annis, adeo ſui hoſtis extitit, vt ab eodem Pontifice monitus aliquando, de moderanda corporis afflictatione, audierit Cle-

mentem, ſeuerus tamen permanſerit, quoad fracto tandem [4] ſuis, & ſeruorum ſuorum manibus, terreo at pretioſo corporis vaſculo, [5] odor effuſus eſt ſanctitatis. Cum [6] pauperibus, quòd [7] pauper moreretur, ſepeliri voluit, & ſine [8] funebri pompa, à qua meritò abfuere [9] faces, quòd infinita pene miracula ſat multam affunderent lucem. [10] Ad quinque enim omnino numerantur millia, quibus addi poſtulant duo & quadraginta ſuſcitati mortui; [11] Chriſtus ab ipſo, cùm viueret, ſæpe viſus; & [12] ſubridens [13] poſt mortem vultus. Extinctâ igitur lucidiſſimâ illâ totius Galliæ face, cæteræ num lugere potiùs quàm lucere debuere faces?

NOTÆ.

1 PEtrus Luxemb.] Gallus natione, ex matre Mathilde de Chatillon è Comitibus

Campaniæ oriunda, & patre Guidone Comite Sampauliano in Picardia,& Liquiacenſi, in Barrenſi Ducatu. Natus eſt Ligniaci, Gall. *Ligny en Barrois*, in Diœceſi Tullenſi. 20. Iulij ann. 1360.

2 *A parente*,&c] Apud quem ſæpe conqueſti erant famuli de piis Petri furtis, in gratiā pauperū

3 *Sororem.*] Ioannam, cui ſuaſit vt mundum deponeret muliebrem,& Chriſto voueret virginitatem. Sæpe viſi ſunt aperta feneſtra oculos in cœlum coniicere, & cœleſtia miſcere colloquia.

4 *Suis & ſeruorum*,&c.] Moribundus,ab omnibus ſeruis ſuis flagello excipi voluit, quod tam læto accepit,quàm illi inuito dederunt animo.

5 *Odor*, &c.] Adeo ſuauis ex eius corpore erumpebat odor, vt Cardinales alij mirarentur tam ſanctum virum delectari odoribus,ſed à Clemente VII. edocti ſunt, non exoticum eſſe, ſed Sanctitatis balſamum.

6 *Pauper.*] Viginti tantum aſſes ſuperfuerunt poſt eius deceſſum.

7 *Cum pauperibus.*] In Cœmeterio ſanctorum Innocentium Pariſiis ſepeliri voluerat, ſi longè ab aula Pontificia moreretur: ſin ſecus, in Cœmeterio ſancti Michaelis Auenionenſis,vbi mendici ſepeliebantur: vti factum eſt.

8 *Sine pompa.*] Vili panno tegi voluit, cui aſſueretur crux purpurea.

9 *Faces.*] Tres tantum adeſſe voluit, in honorem SS. Trin.

10 *Quinque millia.*] Ex variis M. S. Cœleſtin. Auenion.

11 *Chriſtus.*] Semel in media Auenionenſi Platea, iterum cùm Caſtrum nouum rogante Pontifice inuiſeret, vbi accidit vt genu flexus, quò viſum adoraret Chriſtum, à multo luto, cui diu inhæſit, nullo modo ſorderet.

12 *Subridens.*] Hac ratione, & quia prohibuerat, minio non eſt oblitus, vt eo tempore fieri ſolebat mortuis.

13 *Poſt mortem.*] Quæ contigit ætatis ſuæ anno 18. Cardinalis Medicæus Pontifex electus, dictúſq; Clemens VII. Petrum Luxemb. Beatum dixit. 1527.

Ex vita ab Anonymo conſcripta & typis excuſa Lugduni. 1624.

S. PETRUS THOMAS *Patriarcha.*

A PVRPVRA tranſimus ad purpuram, à Cardinali confeſſore ad Martyrem Patriarcham. Hic Condomij in Aqui-

tania natus, à teneris annis vt B. Virginem haberet matrem, candorem quæſiit morum & veſtis, imò & ordinem ſacrũ veſte candidum, magnæque matri addictiſſimum, Carmelitanum. In eo non priùs ſumpſit veſtes, quàm mores, nec antè albatus fuit corpore quàm mente. Quo pacto, ſanctitatis candidatus, accedentibus annis, illam eſt adeptus, & tantam, vt cui ſeruiebat,[1] cœlorum Reginam videre, aurúmque quantum petebat, ex eius ærario, ſtipendij arrham accipere meruerit. Et ſuos habet hęc Regina theſauros, quorũ clauem nactus eſt, qui colit pietatem! quam ô ſi ſectaremur, vt diuites eſſemus, & non multa neſciremus! cùm eandem ſuper ordine ſuo multa rogitans Petrus, didicerit[2] Carmelitanum ordinem æternùm eſſe permanſurum, nec peſſum iturũ priùs quàm

collapſus orbis omnem ſuſtulerit ordinem. A Pactenſibus inſulis, ad Patriarchatum euectus Conſtantinopolitanum, ſępiùs exarſit animo, vt ſacra pedibus percurreret loca, ſed toties lacrymis immaduit, cùm ad Chriſti ſepulchrum iterum excubantem vidit infidelem militem, & pluſquam lapideum obicem. Quod moleſtè ferens, qui ſcribendis incumbebat libris author non contemnendus & Patriarcha [3] doctiſſimus, ſtylum mutauit; vt copioſus ſcriberetur Gallorum exercitus author fuit: cui concionibus ſacris Apoſtolicæ ſedis Legatus, animos ſæpe & alas addidit, quò in Palæſtinam citiùs aduolaret: vbi precibus ſuis, [4] victoriæ dedit non ſemel, vt ad Gallos deuolaret pugnantes. Sed cùm inſtaret acriùs pro fide propaganda Sanctiſſimus Præſul, ſagittis hoſtium confoſſus [5] occubuit, qui-

bus ipſemet ad ſuperos euolauit alatus. Si iam cœlo receptus,[6] peſtilentiæ tela retundit in Clientes ſuos immiſſa; telorum gnarus eſt, & facilè vincit, qui è tam edito pugnat loco.

NOTÆ.

1 C*Oelorum Reginam.*] B. Virginem cum oraret, vt Cœnobio (quod ex officio inuiſebat) penuriâ laboranti adeſſet, illam vidit, & ab ea hæc verba accepit; *Ne timeas Petre, omnia tibi neceſſaria adiicientur.* Quod ita poſtridie expertus eſt, cùm à mercatore pio tantùm accepit, quantùm poſtulabat.

2 *Carmelit.Ord.*] Ipſâ Pentecoſtes nocte, pro ſui Ordinis conſeruatione orans, ex eadem Virgine audiit, *Confide Petre, Religio Carmelitarum in finem vſque ſaculi eſt perſeueratura.*

3 *Doctiſſimus.*] In Academia Pariſienſi laureâ doctorali donatus, multa ſcripſit.

4 *Victoria,* &c.] Sæpe pugnæ cum Rege adfuit, & ab hoſte Victoriam reportauit.

5 *Occubuit.*] Octauo idus Ianuar. 1366. cuius corpus Famaguſtam delatum eſt.

6 *Peſtilentiæ tela.*] Præcipuè inuocatur contra Peſtilentiæ & Epidimiæ morbum.

Ex ſupplemento Breuiarij. R.R. P.P. Carmelitarum.

SANCTVS DIONYSIVS [1] *Areopagita,* [2] *Archiepiſcopus Pariſienſis, totius Galliæ Apoſtolus &* [3] *Primas.*

DIONYSIVM non peperit mundo Gallia, ſed Dionyſius Galliam Chriſto, quem ideo non amat iſta vt filium, ſed veneratur vt patrem. Athenis natus claro ſanguine, Pariſiis pro Chriſto occubuit, datò quàm accepto ſanguine clarior. [4] Doctíſque exceptus eſt locis vir doctiſſimus, oriens & moriens. [5] He-

liopoli verò aut in Vrbe Solis, patientem vidit Solem in tenebris, ex quibus tantam hauſit lucem, vt [6] naturæ viderit auctorem extrema patientem. Ea tamen dubia lux fuit, quoad in Athenienſi Areopago, veritatis agens cauſam Paulus, ignorantiæ depulit tenebras, & [7] ignotum Deum; notum fecit. Vbi enim ad illud vſque tempus incognitum Deum nouit, hactenus cognitos neſcit Deos [8] doctiſſimus Areopagita, qui nunquam iudicium tulit rectiùs, quàm vbi erroris damnauit ſe, & pro Chriſto colendo ſententiam dixit. Ab Diuo Paulo edoctum, & Eccleſiæ Athenienſi præpoſitum, poſt tres annos Athenis Romam traxerunt [9] Magiſtri vincula, alia inde in Galliam charitatis, & ſanguinis pro fide fundendi ardor. Quò vt acceſſit [10] ab Clemente Pontifice miſſus, aquam ſpar-

ſit ſalutarem ídque in Caput Regni, vt totum quantum eſt, faceret Chriſtianum. Sed tam Sanctis obniti certus incœptis Dæmon, per " Feſcenninum Siſinnium præſidem, Dionyſio ſociiſque reponit pro luce carceres & tenebras, pro aquis flammas. In carcerem enim detruſus, & flagellis immaniter cæſus, circumpoſito aſſatur igne, nobiliſſimúmque ferculum apponitur feris: At illis tanti non eſurientibus, in ardentem conjicitur clibanum, cuius flammæ licet edaces ac voraces, ab eo tamen abſtinuere tam parato cibo, quem Creatoris ſui & Regis æterni deliciis paratum ſenſerunt: Quare poſt cruces varias & verbera, cum Ruſtico & Eleutherio ſecuri percutitur, & in Regni capite, caput amittit: nihilo tamen diminutus eſt, qui maior extitit exciſus. Ambabus enim manibus amplexus Ca-

put, vt Deo gratam offerret hoſtiam; ad [12] duo milliaria detulit. Quo in itinere, quot fixit veſtigia, tot fecit miracula, quibus [13] Larciam Matronam nobiliſſimam, innumeróſque alios ad Chriſti fidem adduxit. A [14] Catula autem in [15] prædio ſuo ſuſceptus, inhiantes cadaueri canes deluſit, Tyrranni [16] ſatellites; nam ab ea terræ mandatus, inuiolato cum ſociis Martyribus quieuit ſepulchro, cui poſtea Clientes piiſſimi, templum pro tumulo poſuerunt: vbi [17] Dagobertus excitatâ auguſtiore Baſilicâ & Reges poſteri ferè omnes iacere voluerunt, vt cum parente iacerent filij, cum Chriſtianorum in Gallia Principe, Reges Chriſtianiſſimi.

NOTÆ.

1 *AReopagita.*] Dionyſium Pariſiorum Epiſcopum, fuiſſe Athenienſem, & Areopa-

gitam, multis probat, imò iuſto volumine, quod inſcripſit, *De Myſticis Galliæ ſcriptoribus*, vir *Doctiſſimus And. du Sauſſay.*

2 *Archiep.*] In argenteo eius feretro, antiquiſſima illa inſcriptio legitur: HIC SITVM EST CORPVS BEATISSIMI DIONYSII ARCHIEPISCOPI, 1. Pontificum in Gallia principis & vniuerſalis Galliæ Apoſtoli.

3 *Primas.*] In Chartula Cameracenſi, data anno 1099. vocatur S. Dionyſius, TOTIVS GALLIÆ PRIMAS.

4 *Doctis*, &c.] Nimirum Athenis, & Pariſiis, literarum Emporiis.

5 *Heliopoli.*] In Ægypto; quò iuerat philoſophiæ & Aſtrologiæ daturus operam.

6 *Naturæ Authorem.*] Dixiſſe fertur, aut Deus patitur, aut mundi machina deſtruitur. *Suidas in vita Dionyſ. & ipſemet Dionyſ. epiſtol.* 7. *ad Polycarpum.*

7 *Ignotum Deum*] Cui aram excitarant Athenienſes hac inſcriptione, IGNOTO DEO. *Actor. Apoſt. c.* 17.

8 *Doctiſſim.* &c.] Cuius ſcripta de Cœleſtis, de Eccleſiaſtica Hierarchia, de Diuinis nominibus, *&c.* qualis fuerit, ſatis loquuntur.

9 *Magiſt. vincula*] Ita Hilduinus c. 17 licet alijs de cauſis iuiſſe probet. *And du Sauſſay*, *c.* 10. *de Myſt. Gall. ſcript.*

10 *A Clemente*, &c.] Hoc ipſum probatur ab eodem auctore.

11. *Feſcenn.*] Vixit hic ſub Adriano Imp.

cui charus fuit ob rem Gallicam eius nutu adminiſtratam, ex quo deducitur Sanctum Dionyſium paſſum fuiſſe ſub Adriano vt probabilior aſſerit ſententia.

12 *Ad duo mill.*] Vbi nunc Dionyſiopolis, *S. Denys en France*, Auguſtâ inſignis Baſilicâ, à Dagoberto Rege extructâ & Regum Chriſtianiſſimorum Mauſolæis.

13 *Larciam.*] Liſbii, viri Pariſienſis honoratiſſimi vxorem, quæ maritum paulò antè accuſauerat Chriſtianæ Religionis, & eius Martyrij cauſa extiterat.

14 *Catula.*] Siue Catulla matrona diuite, nec dum tamen chriſtiana, ſed quamprimùm ad fidem conuerſa.

15 *In prædio.*] Vbi nunc Vrbs San-Dionyſiana.

16 *Satellites.*] Corpora SS. MM. in ſequanam inijcere cupientes.

17 *Dagobertus.*] Quòd ad Diuum Dionyſium confugere per ceruum edoctus (quem eius venatici canes ad ſepulchrum Martyris lædere non potuerant) contra parentis iras ab eodem Dionyſio ſeruatus fuiſſet.

Paſſus eſt 9. Oct. anno reparatæ ſalutis 119.

Ex Hilduino Abbate.

S. EVCHE

SANCTVS EVCHERIVS Lugdun. Galliarum Primas.

CVM ſcripſit [1] Eucherius (vt temporibus illis) in pugillaribus cereis, [2] mel ceræ reddidit: cùm è ſpelunca prodiit, lumen reſtituit orbi. Abdiderat ſe in [3] ſpecum ad Durantiam fluuium vir ordinis Senatorij literatiſſimus, & orbem ſibi fecerat contractum, in quo nihil erat prͤter Deum & Eucherium, vt in eo dilataret animum. Sed mortuo Senatore, aut Viuentiolo Lugdunenſi Antiſtite, ſubſtituendum Senatorem alium, qui ad Durantiæ littora morabatur, cùm indicaſſet puer ab Angelo edoctus, prodeundum Eucherio fuit, & lux è tenebris eruenda. At quo pacto? vi & funibus: niſi enim Archidiaconus ad eum miſſus,

quaſi miles Gedeonicus teſtam fregiſſet, id eſt Eucherianam ſpecum, lumen non vidiſſet; nec Lugdunenſis Eccleſia habuiſſet Antiſtitem, nec Gallia Primatem, ni priùs habuiſſet Archidiaconus [4] ligatum à latere. Vnctus ergo, & impoſitus tantæ ſedi, fecit quod Sol orbi, luxit, & tenebras depulit errorum ex animis; Scripſit enim [5] libros ſtylo breues, doctrinâ vberes, lectione expeditos, inſtructione perfectos, menti ac pietati pares. Imò fecit quod feciſſe Sol non potuit, occidens duos orbi reliquit ſoles, filios ſuos, Veranum, & Salonium, doctiſſimos poſt patrem Epiſcopos; dum Galla eius vxor nobiliſſima, in ſpecu quam ipſe deſeruerat, & Ambæ filiæ, Conſortia & Tullia, ſub ſacro velo, pro Chriſto tenebras incoluere.

Lucente Sole, latere ſolent Luna, & Stellæ.

NOTÆ.

1 EMinentiſſimum Cardinalem Baronium Tom. 6. P. 9. Adonem, & Cornel. Graſium ſecuti ſumus, qui vnum tantùm agnoſcunt Eucherium Lugdunenſem Archiepiſcopũ, licet alij duos aſſerant, & fortè probabiliùs; quorum vterque ante Epiſcopatum matrimonio iunctus fuit, ex quo primus duos ſuſcepit filios, Salonium & Veranum. Alter filias duas, conſortiam & Tulliam, vterque doctiſſimè ſcripſit: ille varias homilias, parenæſim de contemptu mũdi, *&c.* hic de MartyribusThebæis: ſenior, primo Conc. Arauſicano inter fuiſſe dicitur. Iunior, ſecundo. Primus, ſucceſſiſſe Senatori: Secundus, Viuentiolo. Sed quia non ita conſtare videtur duos fuiſſe, & idem vtrique aſſignatur dies obitûs, nec poſt Viuentiolum, in ſerie Archiep. Lugdunenſium ſcribitur Eucherius, quæ de Eucherio Lugdunenſi dicuntur; in vnum conieci.

2 *Mel Cera.*] Verba ſunt Valeriani eius conſanguinei, viſâ parenæſi Eucherianâ elegantiſſimâ, quòd tunc temporis pugillaribus ex cera compactis vterentur.

3 *Specum.*] In agro Aquenſi, loco dicto Clinomartis, Gall. *Montmars*, cuius erat dynaſta, circa ann. 520. *And. Theuet de Viris illuſtribus.*

4 *Ligatum*] Intduit Archidiacono ſe non exiturum, neque Lugdunum iturum niſi effracto

ſpecu vinctum perduceret. *Ado in Chron. Graſius.*

5 *Libros*, &c.] Ita Saluianus, quos meritò dolet Eminentiſſim. Cardin. Baron. Euſebio Emiſſeno eſſe aſcriptos Tom.6. p.9.

Ex Adon. in Martyr. ad 16. *Nou. & Baron. in Annal. Eccleſ. Tom.* 6.

SANCTVS GENESIVS Primas Galliarum.

STYLVS aureus auream deceret manum, ex qua flumen olim fluxit auri, in pauperum manus. Geneſij dico, ex Abbate [1] Fontanellæo, & Regio Eleemoſynario, Galliarum Primatis. Is è Cœnobio vocatus in aulam,[2] fecit quod ex aula in Cœnobium vocati, omnia generoſo contempſit animo: imò & aurum ipſum, quod ex aula in xeno-

dochia detruſit.[3] Batildi enim Reginæ, ab eleemoſynis, à Rege conſtitutus, Regium penetrauit in ærarium, illúdque exhauriens, omni auro potioribus repleuit inaniis. Chriſtianorum mancipiorũ vincula, catenis fregit aureis, quas fregit; & virginibus benè multis argẽteam pluit pluuiam, iouis aureâ meliorem, ex quâ naſcerentur lilia, & pudor tantus, vt puderet vllo vnquam auro vænire. Frequentia item condidit templa, vt aliquando haberet Batildis, æternúmq; illi ac ſibi extrueret palatium. Denique à theoria ad praxim; à Maria exſcendens ad Martham, alteri alteram coniunxit, & ex capite Fontanellenſium aſcetarum, factus eſt Reginæ manus, quâ egenos pauit, carceres aperuit captiuis, auro effregit ferreós vectes, & benedictionem ipſa, totúmque Regnum percepit copioſiſſimã.

Quòd autem tantâ pietate, & virtutibus emineret Geneſius, ac [4] primas inter æui ſui ſanctiſſimos obtineret, Primas eſt electus Galliarum, Batilde, vt rem ſe dignam faceret, manum ſuam attollente. Cui ritè pedum geſtandum datum eſt, qui tam bellè greges noſſet paſcere. In eo tamen munere non deſtitit Batildis eſſe manus, cùm Clodouæo II. ex humanis ſublato, ſceptrũ cum illa tulerit, quoad adultis Clodouæi filiis, ereptam mundo Batildem, ſacróque velatam flammeo, eadem manus [5] Calenſi dedit Parthenoni, ex quo, poſt mortem, manus iterum functus officio, deduxit in Cœlum. Morienti enim Reginæ adfuit iam inter Diuos receptus Geneſius, vt viâ, quam nouerat in Cœlum, Batildem, vt Reginam decet, manu duceret.

NOTÆ.

1 F*Ontanellæo.*] Fontanella Monaſterium eſt Ordinis Sancti Benedicti, à S. Vandregeſilo extructum, in Diœceſi Rothomagenſi.

2 *Aulam.*] Clodouæi Secundi.

3 *Batildi.*] Vxori Clodouæi Secundi, & poſt mortem in Catalogum Sanctorum relatæ: v. infra 2. p. c. 1.

4 *Primas.*] Et Antiſtes Lugdunenſis poſt ſanctum Annemundum.

5 *Calenſi.*] Cala Parthenon eſt in Diœceſi Pariſienſi, Ordinis S. Benedict. 4. ab vrbe lapide, vernaculè *Heles.*

Dies eius feſtus incidit in Cal. Nouemb.

Ex vita S. Batild. & Chronicis generalib. Ordinis S. Benedict. ab Ant. d'Yepez.

S.[1] *SVLPITIVS PIVS Primas Aquitaniæ.*

GRATISSIMVM ſuperis prodigium, Pius Aulicus! qui vanos honores habeat contemptui, contemptus ducat honori: Qui gratias temporanei Regis negligat, ambiat æterni: Qui Feſcennina pedibus, ſacra manibus terat volumina; Qui neminem fraudet, niſi genium ſuum, & ad niueas veneres,[2] rupes ſit & glacies, aut marmoreos habeat oculos, frigidus inter flammas: cuius manus, & digiti, egenis ſe profiteantur ſeruos, non mendaci auliciſmo, ſed veræ & ſingularis beneficentiæ officio. Talis in [3] Aula fuit Sulpitius, antequam à Bituricenſi [4] Archipręſule ſacris initiaretur ordinibus, & eius

loco Primas ſufficeretur. Qui autem tanta fecit aulicus, quid Diaconus? Enſe & baltheo militari poſitis, gladium ſumpſit verbum Dei, quo Bituricenſium occidit vitia, multorum ab hoſte tartareo vitam protexit. Cùm [s] Rege ad bellum profectus, in prauos militum mores pugnauit ſtrenuè, & vbique caſtrametatus eſt pietati. Primatis auctus honore, virtutes auxit ſuas, ouium ſuarum vitia minuit. Fœtentes Iudæos, aut Chriſtianis ablui coëgit aquis, aut toto Bituricenſi agro abſcedere; non ſecus ac in ſecundo Matiſconenſi Concilio, Epiſcopis auctor fuit, vt à ſordibus puras ſeruarent manus, quibus oſcula figi vellent. Quod autem Regem ab imminenti mortis periculo ſeruarit, palam fecit, viri ſancti in aula præſentiam, optimam eſſe corporis cuſtodiam, & principis Archiatrum.

NOTÆ.

1 *SVlpitius.*] Caue lector ne tres iſtos confundas, Seuerum Sulpitium, Sulpitium Seuerum, & Sulpitium Pium. Seuerus Sulpitius qui multa ſcripſit de ſancto Martino, nunquam fuit Archiepiſcopus Bituricenſis. *Ex Gennadio.* Sulpitius autem Seuerus, Archiep. & Primas fuit tempore Gumtrami Regis, & ſucceſſit Remigio. *Ex Greg. Turon. l. 6. & 10. hiſt. Francorum.* Item Sulpitius Pius tempore Clotarij II. quem ſeptem dierum ieiunio, ſanauit, vt vult *Aymoinus l. 4. de geſtis Francorum.*

Sed de tempore quo extitit hic Antiſtes, auctores nō conſentiunt *Baron. Menard. Chenu. Robert. & Du Val:* quem vltimum ſecuti ſumus in hac Epitome, & ideo quod alter fecit, alteri aſcribunt, & Regum nomina mutant & Archiepiſcoparū.

2 *Rupes.*] Vouit in aula virginitatem.

3 *Aula.*] Gumtrami ſecundum Baronium: Chilperici ſecundum Menardum, *In Martyrolog. Benedict.*

4 *Archipræſule.*] Remigium vocat Baronius, Menardus Auſtregeſilum.

5 *Rege.*] Clotario II. ſi Menardum audias: ſi Baronium, Gumtram. *Lector cognoſce.*
Dies illi ſacer eſt 17. Ian.

Ex Martyrol. Benedict. D. Hug. Menard. Andr. Du Val, & Ioan. Chenu. in Epiſ. Bituric.

S. GVILLELMVS *Bituricenſis Primas Aquitaniæ.*

QVID mirer immori [1] cineribus virum ſanctum? Inter cineres conuenit & ignem, qualem ſe fuiſſe ſatis docuit, qui eductus è corpore, continuò [2] reſplenduit. Miror magis eodem in pectore, tamdiu flammas & aquas aluiſſe, quibus ſingulis diebus, ſacris operatus, ardebat & madebat. Latere voluerat quidem vir [3] genere cōſpicuus, & hac ratione dimiſſis à quibus ſibi metuebat pluribus [4] Sacerdotiis, Grandem conſcenderat montem, vt virtutem, in arduo ſcilicet poſitam, aſſequeretur, & in ſacrum adlegeretur ordinem. Sed iuſtas ob cauſas de monte deſcendit vir humilis, nec à

virtute diſceſſit, qui paulò poſt [5] Pontiniaci Ciſtercienſem amplexus eſt ordinem. Inde variis in locis [6] Abbas electus, [7] SediBituricenſi prælufit, cui poſtea eſt præpoſitus; vt qui ſibi ardebat intus, omnibus luceret exteriùs; quod rite præſtitit, cùm pauperum pedibus affuſus, vt illos ablueret, ardórem ſuum & flammas oſtendit in aquis, cùm moribundis & mortuorum adfuit exequiis (quod illi ſolenne fuit) vt in tenebras mortis abeuntibus lucem præberet, & viciſſim à morientibus viuere diſceret. Sed pręcipuè cùm obſcuriorem reddere ſe ſtuduit [8] cilicio, [9] veſtéque religiosâ, quam Aquitaniæ Primas nunquam poſuit. At longè clariùs ſplendidiúſque, cùm à morte remotis veluti nubibus, cilicio, Religiosâ veſte, & cineribus, (quibus, vt ſolet ignis, immori voluit) ad mediam horam, [10] cœlum

iam periturus, in ſummo Eccleſiæ Bituricenſis apice, lux puriſſima refulſit. Inde non mirum eſſe poteſt, ſi in feretro nihil illius ſuperſit præter cineres, euolauit ignis.

NOTÆ.

1 *Cineribus.*] In cinere mori voluit Sanctus hic Primas.

2 *Reſplenduit.*] Eo mortuo, ignea columna viſa eſt in ſummo Eccleſiæ Bituricenſis faſtigio.

3 *Genere conſpicuus.*] Nimirum ex proſapia Comitum Niuernenſium.

4 *Sacerdotiis*, &c.] Duos deſeruit Canonicatus, vt vocant. Pariſienſem & Sueſſionenſem, vt fieret Religioſus Grandimontanus.

5 *Pontiniaci.*] In Diœceſi Antiſſiodorenſi, *d'Auxerte.*

6 *Abbas.*] In Cœnobiis fontis S. Ioannis & Caroliloci. *G. Charlieu.*

7 *SediBitur.* &c.] Inuitus, & imperio coactus legati Apoſtolici, præpoſitíque ſui Generalis.

8 *Cilicio.*] Multis modis carnem atterebat, ſed præcipuè cilicio, & abſtinentiâ à carnibus, quas ne puer quidem comedit.

9 *Veſte*, &c.] Eaſdem retinuit veſtes, nec plures veſtit hieme, quàm æſtate.

10 [*cœlum.*] Anno 1200. Honorius tertius eum Sanctorum albo aſcripſit. Cujus Feſtus dies celebratur 10. Ianuar.

Ex Chryſoſt. Henriq. in faſcicul. Ciſtercienſi.

SANCTVS REMIGIVS Archiepiſcopus Remenſis.

PERSPICACI fuit oculò cœcus, qui Remigium antè quàm naſceretur, vidit: Inſignis miraculò Remigius, qui videnti [1] lucem reddidit cœco, antè quàm lucem ipſemet nouit. Prædixerat Sanctus Eremi cultor Montanus (aptiſſimo ſane vocabulo, altus enim eſſe debuit vt tam longè diſſita proſpiceret) Ciliniæ nobiliſſimæ æquè ac ſanctiſſimæ, ſed ætatis iam [2] prouectæ

fœminæ, & effœto corpore ſterili, naſcituram prolem, Galliæ tenebris ſolem: miſeriis [3] remedium, aut fluctuanti ſcaphæ, apud Remos Remigium. Credidit oraculo Cilinia nec vanè, & ſibi & prophetæ. Nam prædictum enixa ſolem, lacte ſuo dicam, an luce? Sancti vatis vtì prædixerat abſterſit tenebras, & lumen accendit. (Lac eſſe debuit an lux, lactentis ſolis cibus?) [4] Ortus ergo puer, radios continuò ſparſit, ſed virtutum & ſanctitatis, quos fruſtra humilitate, & ſtudioſis involvit nebulis. Nam à Clero populóque Remenſi [5] in prȩſulem expetitus, [6] ſubitis reſplenduit ignibus & oleo, quibus clariſſimè vidit ad id ſe muneris diuino numine vocari. Sed longè magis & ſplendidiùs effulſit, cū Clodouæum Regem Chriſtianæ fidei rudimenta docturus, templum multo colluſtrauit lumine,

& Regem gentémq; Francorum nobiliſſimam, ab errorum tenebris ad Chriſti lucem per ſalutares aquas traduxit. O quantum! ô quàm lætum Francis fecit diem! quàm vobis gratum Beatiſſimi Cœlites, qui per candidiſſimam è cœlo demiſſam columbam, ſacrum ſuffeciſtis oleum, non Clodouæo ſolùm, ſed aliis etiam inungendis Chriſtianiſſimis Regibus, & plagis noſtris aut remedium, aut lenimen. At quàm luxit, cùm tantâ in pauperes exarſit charitate, vt iis ſemper incumberet alendis; quàm ſplenduit, cùm non exarſit, ſed ſanctas tantùm obtendit manus flammis in grana ſua iniectis, quæ futuræ pauperum recōdiderat neceſſitati? Quàm emicuit, cùm flammas ciuitatem Remenſem depaſcentes, ſigno Crucis in fugam dedit? cùm tenebrarum vicit principes, & è corporibus excedere iuſſit

iuſſit quantumuis pertinaces? cùm vmbrâ tantùm ſuâ Epiſcopo Ariano inſanam ademit linguam, & ſanam reſtituit mentem? Quare quid mirũ, ſi pernox in oratione permanſit, & lucidè ſcripſit, qui totus lux fuit? Si latè proſpexit in futurum, & chariſſimis ſibi Francorum Regibus, etiam poſteris benè precatus eſt? Longè latéque ſol proſpicit & calorem diffundit. Quod autem è viuis ſublatus innumeros depulerit morbos, peſtem, & alia ab vrbe Remenſi arcuerit incommoda, nullíſque adminiculis ſemel atque iterum in alium migrarit locum; Num illud eſt poſt fata ſupereſſe, aut poſt occaſum lucere?

Sic ſua Sol Francicus habuit crepuſcula;
Matutinum, quo viſus eſt, antequam ortus fuit;
Serotinum, quo ſentitur cùm occidit.

NOTÆ.

1 *LVcem cæco.*] Montano Eremitæ, qui cùm lacte Ciliniæ matris Remigij oculos ſuos liniit, viſum recepit.

2 *Iam prouecta.*] Genuerat olim Sanctum Principium Epiſcopum Sueſſionen. & patrem B. Lupi eiuſdem Principij ſucceſſoris.

3 *Remedium.*] Remedium fuiſſe vocatum in veteribus reperitur ſcriptiſ. in Emendatioribus tamen Remigius dicitur.

4 *Ortus.*] In Pago Laudunenſi (*de Lan*) alto parentum ſanguine. *Flodoard. in hiſt. Eccl. Remen. l. 1. c. 10.*

5 *In præſulem.*] 22. Annorum Electus Archiepiſcopus Remenſis.

6 *Subitis* &c.] Cum obſiſteret ne ad tantam eueheretur dignitatem, electionem è cœlo probauit Deus, luce & liquore, quæ viſa ſunt eius capiti affundi. *Flodoard. l. 1. c. 11.*

7 *Pertinaces*, &c.] Sanctus Benedictus Toloſanam puellam, à qua dæmonem expellere non potuerat, ad D. miſit Remigium, qui eam liberauit, & paulò poſt ſuſcitauit mortuam.

Flodoard. in Hiſt. Eccl. Remen. lib. 1. à c. 10. ad 24.

SANCTVS ARATOR Epiſcopus Virdunenſis.

AD hoc ſpectaculum (ANTISTITES REVERENDISSIMI.) Adeſt ex diſertiſſimo Oratore, mutus Arator; ex Epiſcopo, boum Paſtor: Ex ſacro paſtore, agricola: Virdunenſis Epiſcopus ſtiuam ducit, colítque agros, qui non habet quos colat animos; frumentum ſerit, cui non licet per Ethnicos [3] perſecutores ſeminare Chriſti verbum: Abiere illi oues in boues: pedum in ſtimulum. [4] Cappâ exutus Epiſcopali, nouum indutus eſt hominem: Crux illi non in pectore modò, ſed toto corpore; non referta ſacris reliquiis, ſed circumdata: chirothecæ terrei coloris: Pluuiale, illi cœlum eſt, heu!

quàm ſæpiſſimè: benedictiones, de rore Cœli: Planetæ, illi ſunt ſeptem & cæleſtes: annulus item, ſed in axe & ferreus: lapilli in pedibus, non in capite: frontem non grauant, ſed pedes lædunt: manipulus non alius, quàm frumenti, auenæ, aut hordei. Iamdiu exercet illum hic labor, nec venit in mentem abſiſtere, quòd ſciat mittentem manum ad aratrum, & retrò reſpicientem, minimè aptum eſſe regno Cœlorum. Eo adegit illum neceſſitas, & ouilis amor, à quo ne longiùs diſcederet, furente perſecutionis tempeſtate, à Lucio Commodo vero Virduni pręcipuè excitatâ, in pagum non longè diſſitũ ſeceſſit, vbi victûs gratiâ ſtiuæ ſe addixit. Sed redditâ Eccleſiæ pace, redditur & Virduno Epiſcopus, cuius nomẽ cum glebis proſcidit aratrum (heu quàm alia multa eius pręclarè geſta, ſi nomini non pepercit)

& ex eo quod habet, reſtituit: imò ab eo quod pro Chriſto exercuit munere, vt pote gloriâ pleniſſimo, nomen ſibi ſanctiſſimus Epiſcopus fecit, Aratoríſque aſſumpſit; vt quas in agro colendo paſſus fuerat miſerias, iterum memoriâ recolendo pateretur: Quibus tandem fractus ad ſuperos exceſſit, vt cum exultatione æternùm meteret in Cœlis, quod cum lacrymis ſeminarat in terris.

Eo autem mortuo nullus in agro Virdunenſi per ducentos & triginta duos annos, apparuit Paſtor, quòd nullus eſſet Arator.

NOTÆ.

1 A*rator.*] Electus Epiſcopus Virdunenſis anno 189. poſt mortuum Saluinum.

2 *Oratore.*] Fuit Arator Apollonij Senatoris Romani & Chriſtiani Diſcipulus.

3 *Perſecutores.*] Romanos, qui pulſi à Godefrido Duce Tungrenſi, & Vverico Treuirenſi, in

Galliæ Belgicæ fines ſe receperant, & præcipuè Virdunum. vbi Chriſtianos ita vexarunt, vt vrbe excedere cum Epiſcopo coegerint.

4 *Cappâ*,&c.] Veſtes Epiſcopales. Cùm Epiſcopi cappam induunt, dicunt; Indue me domine nouum hominem,*&c.*

Moritur anno 222. *Vvaſb. l. 1. antiq. Gall. Belg.*

SANCTVS [1] *ALDRICVS* [2] *Epiſc. Cenomanenſis & Confeſſarius Regius.*

LVDOVICI Pij aulæ dedit Aldricum nobilitas, pietas abſtulit, [3] Aquiſgrani enim, cùm in templo maiori, precibus operam daret, à [4] Deo vocatus, Pium ex pietate deſeruit; indéque in penitiorẽ rediens Galliam, omnia ſibi putauit eſſe carceres; quoad metas tenuit. Vbi à Gondulpho Metenſi Epiſcopo, in Canonicum & Diaconum admiſſus,

poſtea à [5] Drogone, qui Gondulpho ſucceſſit, ad Sacerdotis & præcentoris dignitates euectus eſt, vt pſallentibus præiret voce, qui præibat corde. Tandem in prima cera Primicerius ab eodem Drogone inſertus, aut inſcriptus, mel ſe præbuit, cùm ſuaues & melleos in eo munere oſtendit mores: propter quos à Rege, re & nomine Pio, in aulam reuocatus, vt ſibi à confeſſionibus eſſet, aulam acceſſit vt apis, mel tulit & aculeum, ſed apibus melior, peccatis nunquam [6] ſine melle aculeum infixit. Quâ ratione, Francone Cenomanenſi Epiſcopo defuncto, dignior viſus eſt nullus, qui Cenomanorum ouile regeret, quàm qui totus apis, aut ouis eſſet Aldricus; Qui à Rege cum aulicis aliquot ad [7] Cenomanenſes miſſus, tam gratus acceſſit, quàm gratum ſe poſtea præbuit, cùm

fontem in vrbem ſuis deduxit ſum-ptibus, vt Iacobo Patriarchæ non im-par, oues adaquaret. His aquis, ouium in ſe ſuccendit corda; & templis, quæ fecit auctiora, auxit pietatem, præſer-tim in Diuum Iulianum, cuius ſacros cineres cùm in nouam ædem tranſ-tulit, feſtos Cenomanenſium excita-uit ignes. E Sede ſua pulſus [1] ab im-piis, quòd à Pio ſtaret Rege, Romam confugit, & per communem patrem, patriam: per ſummum Paſtorem, oui-le ſuum recepit. Ex quo iterum à morte deiectus, caulas adiit cœleſtes, vbi pro terrenis quas reliquerat oui-bus, cœleſtem accepit Agnum.

NOTÆ.

1 *Aldricum.*] Inter Officiales Palatinos numerandus eſſet, vtpote Confeſſarius Regius, ſed quia ſecunda pars huius libelli, in qua Palatini aliquot Officiales ſunt deſcripti,

Laicorum eſt præcipuè,& hic fuit Epiſcopus,inter Epiſcopos recenſere maluimus.

2 *Cenomanenſ.*] *Du Mans.*

3 *Aquiſgrani.*] *Aix la Chapelle.*

4 *A Deo vocatus.*] Cùm oraret in templo Aquiſgranenſ. (vbi aula erat Imperatoria) è Cœlo monitus vt rebus caducis nuncium remitteret, & Eccleſiaſticum amplecteretur ſtatum, ſalutato Imperatore Metas venit.

5 *Drogone.*] Metenſi Epiſcopo Caroli Magni filio.

6 *Sine melle.*] Tantâ manſuetudine aulicorum arguebat vitia, vt nemo non æqui conſuleret ab eo corripi.

7 *Ad Cenomanen.*] Ann. 832. 11. Cal. Ian.

8 *Ab impiis.*] Lothario, Pipino, & Ludouico, Ludouici Pij filiis.

Eius obitus notatur tertio Ianuar.

Ex Martino Meuriſsio Epiſc. Madauren. in Epiſcop. Metenſibus.

SANCTVS [1] *ALBINVS Epiſcopus Andegauenſis.*

A Pvero fortis fuit, iniurias tulit, ingens viris perfectis pondus. Quare nil mirum ſi vincula quibus alius quivis teneri potuerat, Samſone melior abruperit, & inuitis bene nummatis parentibus, ad Chriſti crucem conuolarit. Stupendum magis, quòd Cincilli cœnobij tyro peregre ex obedientia profectus, à furenti imbre madentibus cæteris, ne guttulâ quidem fuerit aſperſus. Sed è Cœlo ceciderat imber, virtutem & ſanctitatem nouerat venerari. Quas vtinam protervus miles ſic nouiſſet vereri, ſuo damno fortem ac potentem Albinum expertus non fuiſſet. Cupiebat Æthe-

riam matronam nobilem è [2] carcere abducere Sanctus Antiſtes, cùm obniti contrà miles procax, Veneris potius quàm Martis ſatelles, vt eluſo Paſtore, laniaret ouem lupus. Sed longè ſecus accidit: tum enimuerò leuem hominem exſufflat Epiſcopus, & ille actutum animam efflat, Venereis vſtam flammis, vrendam ęternis. O quid Deo? quid Diuis ſumus? verè ille dixit, folium quod vento rapitur. Quàm facilè autem viuum occiderat, tàm non ægrè mortuum ſuſcitauit [3] Malabundum puerum, vt necis ſcires Albinum habere & vitæ poteſtatem. Ad hæc quoties captiuis [4] carceres, manum ſuam egenis, & cœcis oculos aperuit? Minimùm quinque numerantur, quibus moleſtam illam depulit noctem, quam nullæ faces vincere potuiſſent. Quoties de ſuggeſtu ſacro tonauit in vitia, imò

& fulmina miſit, præcipuè in vetita conſanguineorum connubia? ſed quendam è prima nobilitate virum huiuſmodi perculſum fulmine, quòd rogantibus bene multis Epiſcopis, miſſis Eulogiis honoraſſet, adeò indoluit, vt ſimul cum anathematis, etiam illi vincula vitæ abruperit: ipſe verò quòd à fortitudine ſuà vir octogenarius nonnihil ſibi videretur deceſſiſſe, mœrens obdormiuit, anno reparatæ ſalutis circiter 540.

Quòd ſenectutis vitium non habuit, ſenum habuit vitium; defeceruntque illum animi vires, quòd non defecerint: Nam ſi idem illi quod ſenibus accidiſſet, vt bis puer eſſet ſenex; idem ac illis non contigiſſet: qui puer fortis fuerat, fuiſſet & ſenex.

NOTÆ.

1 S. *Albinus.*] Brito, ex Diœceſi Veneten ſi, Gall. *Vannes.*

2 *Ecarcere.*] In quem detruſa fuerat ære alieno obruta.

3 *Malabundum.*] In vico Gegina dicto.

4 *Carceres.*] Cùm Prætoris Andegauenſis, *d'Angers*, pectus emolire non potuiſſet, vt captiuis libertatem concederet, carceris lapides ita emolliit, vt cadentes, fugæ locum dederint omnibus in eo detentis.

Dies illi ſacer eſt, 1. Martij.

Ex And. Du Val.

SANCTVS AMANDVS Epiſcopus Tungrenſis.

EN Chriſtianus & Gallicus Hercules, quippe qui [1] Augiam purgauit, [2] ſerpentes domuit, innuumeras peragrauit regiones, & plurimos pro Chriſto labores exantlauit. Illum enim ex [3] Aquitano Principe, monachum vidit Augia Inſula, quam à ſerpente immunem fecit: Clericum habuere [4] Turones: Eremicolam [5] Bituriges Cubi; Roma peregrinum, Gallia ab Di-

uo Petro, concionatorem. Ad gradus enim Baſilicæ ſanctiſſimi huius Apoſtolorum principis cùm oraret noctu, quòd gradus habuit, eius aſcēdit oratio, & ad eum Petrus exſcendit, qui Galliam repetere & concionari iuſſit. Reducem habuere pauperes, Patrem; ægri, pium medicum; captiui, liberatorem: Gandauenſes, Apoſtolum: apud quos multo ſudore, & aquis
6 maduit, vt ſacro maderent rore. Habuerę item dęmones hoſtem acerrimum: pietas architectum: Dagobertus, & vitia Cenſorem: à quibus in exilium pulſus, nato Sigeberto reuocatus rediit, quòd abluendo filio Dagobertus Pater, mundiſſimam adhibere vellet manum. Ab exilio & Illirio, quò iuerat Apoſtolus, Galliæ redditus, manum lauando impoſuit Sigeberto, quam leuando Dagoberto ſuppoſuit, qui flexis genibus infra di-

gnitatem ſe abiecit, cùm [7] veniam rogauit Antiſtitem; vbi filius nondum menſes duos natus baptizanti Epiſcopo, [8] Amen, ſubiiciens, ſupra ætatem ſe erexit. A [9] Tungrenſi Sede, quam inuitus admiſerat, ad Vaſcones, Ethnicos profectus, vt eorum calidiori naturæ ſalutarem aſpergeret aquam, irrito conatu, Eremum petiit, vt ſibi aquas oculis funderet, qui aliis, manu non poſſet. Ibi clam [10] ſubmiſſis, qui eum occiderent graſſatoribus, [11] lucem ſubito amiſſam reddidit, vnde ſuum viderunt ſcelus, & Amandi quem malè oderant, ſanctitatem: quam præter tot pia opera & miracula, iterum ab eius [12] morte 148. annis integrum corpus aſſeruit, & ex eo dens [13] auulſus, extracto ſecum ſanguine obſignauit.

NOTÆ.

1 *AVgia.*]Nortmanniæ Inſula ab Oceano diſtans 4. milliaribus. Hanc primus incoluit Sanctus Godo Vndunenſis, S. Vvandregeſili Nepos. *Ex Menardi Martyr. in Godone.*

2 *Serpentes domuit.*]Occurrentem ei in via ſerpentem timuit, ſed fuſâ oratione & ſigno crucis munitus, iuſſit vt in latebras rediret, quod fecit ſerpens, & nunquam poſtea comparuit.

3 *Aquitano,*&c.] S. Amandus Sereni Aquitanorum Ducis filius fuiſſe dicitur. *Baudemundus in eius vita, & Ioan. Roberti in hiſtoria Hubertina.*

4 *Bituriges Cubi.*] *Bourges en Berry.*

5 *Turones.*] Gall. *Tours en Touraine.*

6 *Maduit.*] Ab Vrbis incolis multa paſſus, ſæpe in aquam de ponte deiectus eſt, quòd in eorum inueheretur vitia, & ad baptiſmum ſuſcipiendum hortaretur. *Hariger. c.43.*

7 *Veniam rogauit.*] Quòd in exilium eum miſiſſet, propter libertatem, quâ eius arguebat vitia.

8 *Amen.*] Nemine reſpondente ad orationem Sancti præſulis Sigibertum puerum baptizantis, Amen, puer reſpondit. *Sigeb. Gemblacen. in Chronico.*

9 *Tungrenſis.*] Anno 632. ſecundum Ægidium Leodien. ſecundum Mexium. 633.

10 *Submiſſis.*] A quodam Mummolo.

11 *Lucem*

11 *Lucem reddidit.*] Poſt orationem & lacrymas vberrimas. quas pro illis fudit.

12 *Morte*] Quæ contigit anno Domini 665. *Hariget Abbas Lobienſis C. 46. in Amando.*

13 *Dens auulſus.*] A Lothario templi Eluonenſis Monaſterii (vbi S. Amandus Sepultus fuerat) æditus, qui vngues & barbam reſecuit S. Antiſtitis, & forcipe dentes extraxit, duos, ex quibus fluxit ſanguis. *Ægidius Leodienſ. ad Harigerum c. 46.*

Colitur 6. Febr.

S. AVCTOR.

Hic Metenſium Epiſcopus fuit, à ſubula ad infulas, ab hominum pedibus, ad caput miraculo euectus. Sutor erat vnctus à Corio, qui poſtea ob præclaras animi dotes, vnctus oleo ſacro, imminentibus Metenſi ciuitati Vandalis, Catechumenos omnes in futuros ignes, quos iniecturi erant barbari, peruigilio Paſchatis, piacularibus inſperſit

aquis, opportunè: nam ſponte collapſi per partes muri, hianti ore hoſtes aduocarunt, qui cæde & ignibus omnia miſcentes, benè multos flammis addixiſſent æternis, niſi priùs inſperſi fuiſſent aquis. Tum redactis in cineres ædibus, præter [1] Diui Proto-martyris templum, habuerunt qui ſuperſtites fuere Metenſes, vnde pœnitentiam de peccatis agerent, in fauilla & cinere, & vnde magnopere venerarentur ſacrum illud [2] ſaxum D. Stephani [3] ſanguine purpureum, quòd inter vndantium flammarum globos cum templo ſuo mãſiſſet immotum, alliſóſq; barbarorum animorum fregiſſet fluctus. A ſuis tamen abducti focis, alibì daturi erant lacrymas quã vbi ſenſerant flammas, & alias cum Antiſtite ſuo terras viſuri, ſi barbari diutiùs Gallicas vidiſſent, ſed ſubitis correpti tenebris, & auctorem edo-

cti, non tenebrarum, vt rebātur, principem, ſed per luminum patrem, ſanctiſſimum Præſulem, quem ſecum ducebant captiuum; cum omnibus ſuis facultatem Epiſcopo fecerunt abeundi, ſi modo faceret videndi: quod pactus cum illis Sanctus Paſtor, oculis hoſtium, animas ouium redemit. Quadraginta nouem annis Metis prȩfuit, per quos multorum auctor miraculorum, nihil ad potum adhibuit præter aquam, quòd Chriſtum vehementer arderet; cuius fons etiamnum Metis ſupereſt, iuxta Diui Simplicij templum, pueris vt ferunt ſalubris. Sed eius vtinam ardoris potiùs hæredes eſſemus, quàm fontis.

NOTÆ.

1 D*iui Proto-martyris templum.*] Vti præmouerat S. Seruatius Tangrenſis Epiſcopus, ex legatione ſua ad SS Apoſtolorum li-

mina redux, quò iuerat pro Gallijs ſupplex, poſt reuelationem ſibi è cœlo factam de futura Galliarum clade. *Harigerus in vita S. Seruatij & Sigebertus.*

Rogaûerat illum S. Auctor, vt pro Metenſi vrbe imprimis oraret, anno vt putát Sigebertus 453. ſed fallitur, mortuus eſt enim S. Seruatius, ſecundum Harigerum anno 388.

2 *Saxum.*] Quod ſeruatur, & honoratur Metis,in Templo Maiori.

3 *Sanguine.*] Imo & pilis ipſis adhærentibus ornatum.

Ex Madaurenſi in Ep. Metenſibus.

SANCTVS BONITVS Epiſc. Claromontanus.

APVERILIBVS ſtudiis,iuri diſcendo dedit operam, quòd iuſtè viuere & nihil à ſe contra Ius fáſque fieri vellet [1] Bonitus. Sed à parentibus [2] aulæ datus Regiæ,in Principis Pincernarum primò,

& [3] referendarij munere, deinde in Maſſilienſi præfectura aliquot verſatus annis, ad infulas tandem [4] vocatus eſt, quæ ſplendidiores fuere à Boniti virtutibus, quàm Lapillis: præcipuè verò à ſumma in Deum, & pauperes Charitate, & ſublimi animi demiſſione; quâ ſemel à claudo rogatus, vt ſibi manum ad ſanitatem recuperandam imponeret; Subridens iocosè retulit, non plus ſuam dexteram, quã vitulinum poſſe pedem: extemplò tamen digitis effictâ cruce, greſſum illi reſtituit, vt tribueretur cruci, quod crux è crure truderetur. Orationi verò tam fuit addictus, vt in eam ſæpe noctes inſumeret; quo factum eſt vt plurima in tenebris acceperit lumina, plúſque viderit in pia caligine, quàm viſurus fuiſſet luce: ſtipatam enim cælitibus aliquot, Virginum reginam non vidiſſet, niſi in templo ſolus ora-

tionis causâ pernoctaſſet. Quo viſo attonitus, latebras in muro quæſiit qui naturalem oblitus duritiem ceſſit, & ſanctum perſentiſcens, eum veluti ſacræ imaginis ſorulo cōcameratus excepit. At ſtatim à conquirentibus Diuis in ſcapho ſuo deprehenſus & perductus ad aram, ſacris coram Diua Virgine operatus eſt, vnde munus retulit Sacerdotale [s] ſupparum, quod iam pura dedit manus, quàm niueum fuit donum, & accipientis animus. Sed quòd impoſitæ capiti oblongæ infulæ nimis magnum exhiberent, atque hominibus conſpicuum, qui paruus eſſe, & latere cupiebat; illas humili mutauit [t] cucullo; Sed fruſtra; ab Epiſcopo ad Monachum exſcendens, tanto maior fuit, quanto minor eſſe ſtuduit; qui enim tegi & latere non potuerat in concauo & ad miraculum cedente ſaxo, quî potuiſſet in

panno? Vbi duriſſimus cedit lapis, nihil mollis obſtare poteſt pannus.

NOTÆ.

1 *Sanctus Bonitus.*] Gall. *S. Bon*, vel *Bonnet E. de Clermont en Auuergne.*

2 *Aulæ.*] S.Sigiſberti, in Auſtraſia regnantis

3 *Referendarij*] Cancellarij totius regni.

4 *Vocatus.*] A fratre ſuo Auito, in ea ſede huius nominis 2. Pontificio, & vita decedente, anno 675.

5 *Supparum*] Vel vt iam dicimus Sacerdotalem albam, candoris eximij, cuius materia & textura à nullo mortalium dignoſci poteſt.

6 *Cucullo.*] In Monaſterio Maguilocenſi, noſtratibus, *Manlien.*

Feſtum eius celebratur 15. Ian.

Ex Ribad.& M.S.C. Claromontano.

SANCTVS [1] *CLEMENS Epiſcopus Metenſis.*

POPVLI à natura non feroPcis Clementem decuerat conſtitui Paſtorem, cœleſtíque viro (vti factum eſt) [2] Cæleſtem comitem addi, & vtrique ſocium fœlicem. (fœlix eſt, qui tales nactus eſt ſodales). Ab vrbe digreſſus, Metas ſibi laboris & itineris metas poſuerat, eóque citato pergebat greſſu; cùm mors in piiſſimum illum cœtum auſa ſe inferre, [3] Maternum è ſociis vnum eripit. Sed à Clemente ſuperpoſito abacta baculo paſtorali, quem à Diuo Petro acceperat, quod mortuum fuerat antea lignum, mirata eſt fieri arborem vitæ, at quam fructus ferret, qui ab eâ debuerat ferri. [4] Metas vbi

attigit,cœpit currere,nempe ad ignes, quibus corda Metenſium incendit,& idola exuſſit. Inde Amphitheatrum ingreſſus, vrbi proximũ, virtutes ſuas exercuit athleta nobilis,magnúmque populo ſpectaculum factus, immenſæ magnitudinis ſerpentem traxit ſequacem ad [5] fluuium; vbi ſuos ignes extinguere iuſſus eſt,& peſtes eluere. Ab eo ſerpente extincto, vixerunt multi: At longè plures,cum Olrij vrbis Præfecti filiâ, cuius mors parenti & populo Metenſi vita fuit. Illâ enim ad vitam reuocatâ, abſterſit [6] Olrius, quas natura fundebat aquas, & capiti ſuo poſtulauit infundi,quas offerebat gratia. Vbi autem vrbis caput lucem accepit in oculo ſuo, hoc eſt præfectus in dilectiſſima filia,errorũ abiicere tenebræ; & quæ in vnum confluxerant Olrium, tanquam in arcem cuncta Dæmonia, ſacris ſe vri mirata vn-

dis, ignes ſuos repetiere, præſertim quod in monticulo colebatur Iouis nomine, cui flumen quo tinctus eſt præſes, fulmen fuit, ab eo truncum abiit, eiúſque loco, in trophæum, ſacra emicuit arbor, quæ ad hoc vſque tempus monticulum de ſuo fecit nomine, & ſanctæ crucis appellatur. Effractis hoc pacto idolis, tria in vrbe Clemens, totidem extra Pomœrium excitauit templa, quæ abſumpſit vetuſtas, pietas reſtaurauit, præter ſuburbana [7] bellis diruta, quorum nihil ſupereſt præter [8] fontem. Hæc ſunt naturæ labentis miracula, liquida ſtát, vbi fluunt ſtabilia, duriſſimi lapides & marmora. De [9] Amphitheatro quoque ibi olim à Romanis extructo, nihil reliquum eſt præter fidem, quæ vtinam tam Romani dogmatis, à Clemente Romano Metas allati, omnibus ineſſet Metenſibus, quàm Amphi-

theatri; multorum non inficeret animos, hæreſeos monſtrum, tàm dignum flammis, quàm quod Clemens extinxit, aquis. Sed & hoc ſperamus breui ſublatum iri, [10] Clementem enim habemus Regem, imo cœleſtem, & fœlicem.

NOTÆ.

1 *Clemens.*] Flauius dictus, Romanus patriâ, ex nobiliſſimâ Flauiorum familiâ, Clementis Flauij Rom. Conſulis & Martyris Patruus, Pontificis Propatruus.

2 *Cœleſtem.*] S. Cœleſtis datus illi à S. Petro ſacerdos & ſucceſſor, cui additus eſt Diaconus S. Felix.

3 *Maternum*] Qui poſtea fuit primus Treuirenſium Epiſcopus.

4 *Metas.*] Antequam Metenſem vrbem accederet, cum ſociis, hæſit in Siluis Gorzianis, tertiò, ab vrbe Metenſi, lapide, vbi ædificato Sacello, (quod poſtea in celeberrimum abiit Monaſterium, Pipino Breui & Godegrando Antiſtite authoribus) ab incolis cognitus ex operibus & miraculis, facilem aditum in vrbem habuit.

5 *Fluuium.*] Salliam, vernaculè, *la Saille*, qui

muros & partem vrbis alluit.

6 *Olrius.*] Hic ſibi conſtabat, & Pſeudo numinum cultum tuebatur, ſed vbi baptiſmum admiſit, diſiecta ſunt Idola, & pulſa Dæmonia.

7 *Bellis diruta.*] Quando Carolus V. Imp. contra Henricum II. Celebri obſidione Metas cinxit, & victoriarum ſuarum Metas inuenit, irrito conatu obſidionem ſoluere coactus.

8 *Fontem.*] Dicitur etiamnum fons ſancti Clementis.

9 *Amphitheatro.*] Ad quod deducebantur aquæ vltra-moſellanæ per arcuatum Pontem altiſſimum, vulgò *Les arches de Ioüy*, quòd illi adiectus ſit pagus huius nominis.

10 *Clementem regem*] Lud. XIII. qui Non tantùm iuſtitiâ inſignis eſt, ſed etiam clementiâ: item & Cœleſtis eſt moribus & pietatè; vt fœlix in inceptis, quod teſtantur eius opera & hiſtoriæ.

Ex Madauren. in l. de Epiſcop. Metenſib.

SANCTVS EVCHERIVS Aurelianenſis.

[1] CAROLVS, Martellus aut Tudes dictus, Eucherio tudes fuit; Eucherius Martello incus: Quem enim tutudit & vexauit Martellus, indurauit: Aureliis erat Epiſcopus Eucherius, [2] ab ipſo Martello petenti populo datus: ſed res Eccleſiaſticas eidem inuadenti Principi [3] obſiſtere auſus, quibus ictibus Martellum inter, & ſuam cōſtantiam, gratia, quâ apud eum valebat, contrita eſt, iiſdem immortalem ſibi conflauit coronã. Nam poſt deleta Maurorum in Galliam graſſantiũm quadringenta millia, à Carolo tam inſignis victoriæ, & gloriæ pennis elato, Epiſcopatu [4] abire iuſſus, tàm lætus

abſceſſit, quàm [5] inuitus acceſſerat. (Multa enim cum eius humilitate & verecundia Aurelianenſium pugna fuerat, vt abiecto cucullo, infulas aſſumeret, & tardè vicerant.) Coloniam deportatus in exilium, ingentis pretij Bibliothecam ſecum detulit, caput ſuum, omni genere doctrinæ refertiſſimum. Ei quoque comites iuere virtutes, è quibus vrbanitas gallicè ſemper vbique locuta eſt; ſine interprete. [6] A Colonienſibus vt Angelus exceptus eſt, nec immeritò, quippe qui [7] ab Angelo, dum adhuc in vtero lateret materno benedictus, moribus & ingenio, ab Angelis abfuit non longè. Sexennio elapſo, anno verò 731. in hac Pathmo ſuam habuit Apocalypſim, non de Martello in tartaream fornacem iniecto (vti finxit [8] fabula) qui Eucherio decem annis ipſis ſuperſtes fuit, ſed de Deo, quem

reuelatâ facie videre cœpit. Cuius rei fidem non obſcuram faciunt (prętèr lucem cæcis redditam)[9] ardentes cerei, qui eius impoſiti ſepulchro, ſine diſpendio lucentes, Eucherij ſanctitatem claram fecerunt.

NOTÆ.

1 *CArolus Martellus.*] Pipini Breuis parens, Auus Caroli magni, Dux Gallorum.

2 *Ab ipſo Mart.*] Poſt eius patruum Suauaricum, in Epiſcopum Aurelianenſem petitus fuit Eucherius à populo apud Carol. Martellum, omnia pro arbitrio diſponentem. *Annal. Aurelian. Sauſſaij, l.6. n.5.*

3 *Obſiſtere, &c.*] Alij aliam ſuggerunt cauſam, nimirum quòd partem Rainfredi præfecti palatio ſecutus fuiſſet vt S. Rigobertus Remorum Archiepiſcopus: alij quod eunti Carolo ad bellum contra ſaracenos, propter militum rapacitatem, portas vrbis aperire noluiſſet. n. 9.

4 *Abire iuſſus.*] Rediens victor Martellus, & Aureliis tranſiens, iuſſit Eucherium ſequi peditem; qui obedijt: n. 8.

5 *Inuitus.*] Anno Domini 717. miſerat Carolus qui Eucherium inuitum Aurelias adducerent,

è Gemeticenſi monaſterio. Ille autem in media fratrum corona lacrymans, ſic eos eſt extremùm affatus; Cur me fratres amantiſſimi, finitis iteratò ſæculi laqueis compediri. &c.

6 *A Colonienſibus*, &c.] Quare aliò amandari iuſſit Carolus, nimirum in Haſbaniam ad S. Trudonem Gall. *S. Tron*, in agro Leodienſi.

7 *Ab Angelo.*] S. Eucherij mater vidit in ſomnis ſe & filium ſuum ab Angelo benedici. n. 1. & 2.

8 *Fabula.*] Quam refellit Baronius in Annal. Eccl. confirmare verò conatur Sauſſaius in Annal. Aurelian. ex eo quòd eius filius Pipinus in templo S. Dionyſij ſepeliri noluerit, ſed pro foribus & facie inuerſâ V. n. 30. ad 37.

9 *Cerei.*] Mulier quam ab Idolorum cultu, ad Chriſti fidem adduxerat, ceream candelam vnius libræ ad eius tumulum accendit, & trium dierum totidemq; noctium ſpatio arſit inextincta. Cera autem quæ ex ea fluxerat, inuenta eſt eiuſdem ponderis, ſcilicet vnius libræ. *Ex eod. n.* 13,

Colitur 20. die Febr.

S. GER

SANCTVS GERMANVS Epiſcopus Pariſienſis.

SVVM iactent Herculem fabulæ, quòd puer in cunis duos eliſit angues; maiora verè præſtitit [1] Germanus, qui necdum aut vix natus, viperas duas venenis armatas, matrem & auiam, miraculis eluſit. Epoto illa pharmaco, Germano adhuc in vtero degenti, & antequam vitam guſtaſſet, [2] mortem propinauit, quòd familiæ magis quàm conſcientiæ timeret onus. Hęc verò eâdem mente vix nato [3] venenum in potu miſcuit; ſed vt cœca eſt nequitia, aberrauit; filium, pro nepote ſuſtulit. Quod videns Germanus, cùm per ætatem licuit, vtrâque res ſuas habere iuſsâ, abiit in [4] Eremum;

è qua propter inſignem pietatem in ſancti Symphoriani cœnobio Abbas electus, tam effusè Monaſterij prodegit bona in egenos, vt aliquando præter ſanctitatem ſuam & Aſcetarum querimoniam, domi nihil reliqui fecerit. Hanc tamen illa citò abegit, cùm ad orationem confugiens, cibos accepit ab lectiſſima fœmina miſſos, quibus ora querulorum obturauit. At calumniæ non ita, propter quam Heduorum Epiſcopus Germanum Abbatem compegit in carcerem & vincula. Sed ferrum, vt tam ſanctas ſenſit manus, ad pedes illicò, veniam vt pote rogaturum accidit. Carcérque criminibus coërcendis aſſuetus, quam detinere noluit Germani ſanctitatem, apertis ſponte valuis, veluti hianti ore deprædicauit. Inde tamen pedem efferre noluit ſanctus Abbas, antequam manum benedicturus ad-

hibuiſſet Epiſcopus, ne quaſi coniugali nexa vinculo, innocentia ſingularis & inſigne miraculum, inconſulti Antiſtitis viderentur genuiſſe contemptum. A tenebricoſo carcere ad lucem eductus, & per clauigerum quendam ſenem ad ſacræ caulæ [5] Pariſienſis Claues vocatus, in eam ſe totum impendit curam, vt oues ſuas paſceret, pauperes præſertim, quibus alendis tantum abſumpſit, vt argenteæ Regis ſuppellectili, de [6] Childeberti munificentia nō pepercerit. Heu quid feciſſe dapibus putemus regiis, qui non ipſis pepercit lancibus? Si quos ſpirituali perculſos fulmine, ſacrum fecit bidental; oues non erant, ſed aut rerum Eccleſiaſticarum lupi rapaces, aut turpes hirci; qualis cum pellice rex [7] Cheribertus, venere tam ſordidus, quàm illuſtris ſanguine. Quibus enim ſuis non minùs cœleſtem ſe præ-

buit Germanus medicum, quàm Paſtorem, cùm eius preces, [8] ſputa, lecti palea, ſcriptum nomen, Syngrapha, cæteráque ad eum pertinentia, morbos depellerent. [9] Prouecto Maio, mortuus eſt, anno ætatis 80. Chriſti vero 570. ſi tamen mortuum, aut potius dormientem dicere poſſumus eum, qui [10] tranſlatione ſuſcitatus, afflictorum vidit miſerias, ſupplicantium audiit vota, & in eorum gratiam, optatas contulit ſanitates. Licet ex eodem parente Deo geniti ſimus, quàm non Germani ſumus.

NOTÆ.

1 GErmanus.] Ex agro Auguſtodunenſi, patrem habuit Eleutherium, matrem Euſebiam, genere nobiles. *Fortunat. Epiſc. Pictauien. c. 1. vita ab ipſo conſcripta.*

2 *Mortem* &c.] Quòd Germanum paucis poſt alterum menſib. concepiſſet, multis modis occidere in vtero conata eſt. *ibid.*

3 *Venenum.*] Quod errore ancillæ, Stratidio puero datum eſt, auiæ ſuæ filio. *c.* 2.

4. *In eremum.*] Ad patruum ſuum Scopilionem Lauſiam ſe conferens, moribus honeſtis apud illum eſt inſtitutus: deinde Diaconus, Sacerdos, & tandem à Nectario Pontifice, Abbas in cœnobio Sancti Symphoriani electus eſt.

Eremum autem voco, quòd dicat Fortunatus, illum cum ſociis ad matutinas preces quotidie à mille paſſibus conuenire ſolitum. *c.* 3.

5 *Pariſienſ.*] Per ſomnium vidit ſenem claues vrbis Pariſienſis offerentem, & monentem vt ſaluos faceret Paríſinos. *c.* 13.

6 *Childebert.*] Cùm ingentem pecuniæ ſummam in pauperes erogandam, à rege accepiſſet Germanus, & mediam partem diſtribuiſſet, rediit in Palatium, vbi à rege rogatus, ſi quid ſupereſſet, reſpondit mediam partem ſuperare, quòd ſat multos inopes non inueniſſet, quibus dare potuiſſet. Effunde Pater (inquit Rex) quod reliquum eſt, nam Chriſto largiente, quod donetur non deficit; & his dictis vaſa aurea & argentea comminuens Germano porrexit, lucro apponens quicquid hoc pacto perdidiſſet. *c.* 14.

7 *Cheribertus ſeu Charibertus.*] Secundus à Childeberto Rex, longè ab illo diſpar.

8 *Sputa* &c.] Tam multa ſunt eius miracula, vt ex paucis, Fortunatus Epiſcopus libros duos conſcripſerit.

9 *Provecto* &c.] Nimirum die 28. ann. circiter 570. ætatis ſuæ 80.

10 *Tranſlatione.*] Cui adfuit Carolus Magnus ſeptennis, multorum quæ tunc acciderunt prodigiorum teſtis oculatus.

Ex Anonymo apud Tigeon,&c.ad 25. Julij.

SANCTVS GERMANVS Antiſsiodoren. Epiſcopus.

APRÆFIXIS [1] arbori [2] ferarum capitibus, aliam venabatur media in vrbe feram Germanus, cuius venator ipſe prẹda fiebat, vanitatem. Cùm Antiſtes Sanctiſſimus Amator, vt euanidum, at expetitum à Germano tolleret fructum, excidit arborem, igníq; tradidit, cuius flammis incenſus venator nobilis, vrbi & agro Altiſſiodorenſi pro Imperatore Honorio Præfectus, deliniri non potuit, donec ab

Epiſcopo [3] è fuga, quâ ſibi conſuluerat, redeunte, Diuino monente oraculo, attonſus eſt in Clericum, & inunctus in Sacerdotem. Exaſperatum enim in Sanctum Pontificem, Germani animum, ſacrum emolliit oleũ, maximè verò, cùm in locum defuncti Amatoris ſuffectus eſt Epiſcopus, verè amandus, nam [4] ex hoc tempore, aliam inſtituit venationem, in feros animi motus & virtutes: illos vt conficeret, has vt aſſequeretur, nec fruſtra; cùm repertam in ieiunio cõſecutus fuerit ſobrietatem; in aquæ potu, animi candorem; in [5] hordeo, Caſtitatem; in [6] veſte communi, modeſtiam; in oratione, charitatem: humi in qua cubare fuit ſolitus, animi magis quàm corporis demiſſionem. In Angliam cum S. Lupo primùm profectus, [7] Pelagi & [8] Pelagij furias repreſſit, poſtquam [9] de via [10] Geno-

uefam ſalutaſſet, & ad nuptias agni
[11] inuitaſſet ouiculam. A maiori Bri-
tannia, minori adfuit, cùm à cęde de-
terruit [12] Ercharicum, cuius equi fræ-
num tenuit, vt teneret iræ. Eius rei
gratiâ [13] Rauennam ad [14] Imp. profe-
ctus, quòd vir eſſet aureus, aureis ver-
bis à Chryſologo & aurea corbe ci-
bis referta regiis, à Placidia Impera-
toris matre exceptus eſt; quæ ab eo
ligneum diſcum cum pane cibario
miſſum, quòd corde non potuit, auro
incluſit. De miraculis iam aues au-
dire? Pauca de multis accipe, ſępe de-
dit quod non habuit, æger ipſe ægris
ſanitatem: & equum mortuum im-
pactâ calce, quâ viuum occidiſſet, à
morte ſurgere coëgit; ſed mors indi-
gnè ferens ſe calce impetitam, breui
ſanctum virum [15] repercuſſit, affixítq;
lecto. Decumbenti Placidia cibum
manibus ſuis, ancilla nobilis mini-

ſtrauit, mortuíque cadauer in Gallias reportandum, potioribus balſamo Lacrymis condiit.

Si ex famulis heros aut dominos diſcimus, quanta fuit Germani ſanctitas, cui tanta famulata eſt Maieſtas?

NOTÆ.

1 ARbor.] Quæ in publica vrbis platea virebat.

2 *Ferarum.*] Nimirum quas in venatione ceperat Germanus Antiſſiodorenſis Senator, & vrbi Præfectus.

3 *E fuga redeunte.*] Fugerat Auguſtodunum, (*Autun*) vbi à S. Simplicio Epiſcopo, & à Iulio vrbis Præfecto honorificè fuerat exceptus.

4 *Ex hoc tempore* &c,] A Die initi Sacerdotij, ad extremum vitæ, nunquam Panem ex Frumento comedit, vinum non bibit (niſi forte die Paſchatis) non acetum, non oleum, nec legumina guſtauit, nec ſalem. *Conſtantius Preſbiter in eius vita c.* 8.

5 *In hordeo* &c,] Quod ipſe ſuis manibus purgabat & molebat *ibid.*

6 *In veſte.*] Quæ fuit eadem hieme, quæ æſtate; nullam enim propter frigus adiecit,

nullam propter calorem detraxit. *c.9.*

7 *Pelagi*] Furente tempeſtate, in naui dormiens excitatur à S. Lupo & aliis comitibus, qui tum ventos increpat, & oleo aſſumpto, in nomine Sanctiſſimæ Trinitatis ſæuientes fluctus aſpergit, & comprimit.

8 *Pelagii.*] Hæreſiarchæ, & Diuinæ gratiæ hoſtis, qui aſſerebat ſine gratiæ ope, hominem ſaluari poſſe.

9 *De via,* &c.] In prima profectione, quando iuit cum S. Lupo Trecenſi.

10 *Genouefam.*] Sexennem, Nemetodori, *à Nanterre*, tribus ab vrbe Pariſienſi Gallicis milliaribus diſtantis.

11 *Inuitaſſet.*] Sacrum enim dare velum non potuit, quòd per ætatem Genouefæ non licebat. Dedit autem poſtea Carnotenſis Antiſtes. *Ex And. du Val in vita Genouefæ.*

12 *Ercharicum.*] Hemonum Regem, Alemãnum, Barbarum & ethnicum, ab Aetio in Britones irato miſſum, vt eos internetione deleret. Hunc per interpretem 1. allocutus eſt S. Germanus, ſed cùm nihil aſſequeretur, manum in habenas iniecit equi, ne vlterius progrederetur, quod tamen æqui boníque conſuluit Ercharicus, pepercitque Britonibus, ſi Aetius aut Imp. Valentinianus aſſentiret.

13 *Rauennam.*] In eo itinere ad eum videndum confluebant populi, & loca in quibus quieſcebat notabantur, erectis crucibus aut etiam ſacellis. Eam vrbem ingredi optauerat concubiâ

nocte, ſed tam multæ accenſæ ſunt faces, vt diem vincerent.

14 *Imp.*] Valentiniani III.

15 *Repercuſſit.*] Anno circiter 449. 31. Iulij.

Ex Conſtantio Presbytero & P. Ribad.

SANCTVS GOERRICVS *Epiſcopus Metenſis.*

NON remorata ſunt coniugij vincula Goerricum Aquitanum & bellicoſum Principem, ne ad orationem ſepties, ſingulis diebus, ab omnibus ſecederet arbitris; eadémq; de cauſa mediis ſurgeret noctibus, vt ſi forte contingeret è ſacris nuptiis redire ſponſum, vigil & prudens, cum prudentibus virginibus ſequeretur in cœlum. At cùm ita quotidianas ageret vigilias,

nullam propter calorem detraxit. *c.9.*

7 *Pelagi*] Furente tempeſtate, in naui dormiens excitatur à S. Lupo & aliis comitibus, qui cum ventos increpat, & oleo aſſumpto, in nomine Sanctiſſimæ Trinitatis ſæuientes fluctus aſpergit, & comprimit.

8 *Pelagii.*] Hæreſiarchæ, & Diuinæ gratiæ hoſtis, qui aſſerebat ſine gratiæ ope, hominem ſaluari poſſe.

9 *De via,* &c.] In prima profectione, quando iuit cum S. Lupo Trecenſi.

10 *Genouefam.*] Sexennem, Nemetodori, *à Nanterre*, tribus ab vrbe Pariſienſi Gallicis milliaribus diſtantis.

11 *Inuitaſſet.*] Sacrum enim dare velum non potuit, quòd per ætatem Genouefæ non licebat. Dedit autem poſtea Carnotenſis Antiſtes. *Ex And. du Val in vita Genouefæ.*

12 *Ercharicum.*] Hemonum Regem, Alemãnum, Barbarum & ethnicum, ab Aetio in Britones irato miſſum, vt eos internetione deleret. Hunc per interpretem 1. allocutus eſt S. Germanus, ſed cùm nihil aſſequeretur, manum in habenas iniecit equi, ne vlterius progrederetur, quod tamen æqui boníque conſuluit Ercharicus, pepercitque Britonibus, ſi Aetius aut Imp. Valentinianus aſſentiret.

13 *Rauennam.*] In eo itinere ad eum videndum confluebant populi, & loca in quibus quieſcebat notabantur, erectis crucibus aut etiam ſacellis. Eam vrbem ingredi optauerat concubiâ

nocte, ſed tam multæ accenſæ ſunt faces, vt diem vincerent.

14 *Imp.*] Valentiniani III.

15 *Repercuſſit.*] Anno circiter 449. 31. Iulij.

Ex Conſtantio Presbytero & P. Ribad.

SANCTVS GOERRICVS Epiſcopus Metenſis.

NON remorata ſunt coniugij Vincula Goerricum Aquitanum & bellicoſum Principem, ne ad orationem ſepties, ſingulis diebus, ab omnibus ſecederet arbitris; eadémq; de cauſa mediis ſurgeret noctibus, vt ſi forte contingeret è ſacris nuptiis redire ſponſum, vigil & prudens, cum prudentibus virginibus ſequeretur in cœlum. At cùm ita quotidianas ageret vigilias,

amiſſis oculis, eius [1] extincta eſt lucerna; quam vt ſuſcitaret ad [2] D.Stephani cum prudentibus duabus Virginibus, filiabus ſuis, Precia & Victorina; cum duobus oculis ſuis cœcus; nox'que duos inter dies, Metas profectus, lucem & oleum reperit. Nam cum ad ſacrum D.Proto-martyris ſaxum cœcus offendiſſet, viſum dico nō pedem;[3] ab S.Arnulpho eius conſanguineo, qui in Eremum cogitabat voſagam, Metenſis Antiſtes eſt inunctus; cui oneri humeros ſuppoſuit, quòd diuinam clarè perſpiceret eſſe voluntatem, (acutiùs aliis vident, qui à Deo illuminantur) & ſibi redditam eſſe oculorum lucem, vt Epiſcopum ageret, aut quod idem eſt, inſpiceret. Hanc lucem accepit[4] cùm templo (quod ſumptibus ſuis ædificabat Deo) daret operam. Poſt quam receptam, primum omnium vidit, ad

omnia pietatem eſſe vtilem, & Diuis exhibitum cultum, fœnus eſſe quæſtuoſum. Quapropter vbi ad Epiſcopi munus aſcendit,omnia ſua largiſſimè ad hoc miſit fœnus,præcipuè verò D.Stephano, cuius templo,diſcum argenteum dono dedit ſeptuaginta duarum librarum, vt in ſimili dono, deceſſorem ſuum æquaret Arnulphum. (Maximi ſunt ponderis, Sanctorum dona,Goerrici maximè & Arnulphi.) Defeſſo multis laboribus corpori ex munere ſuſceptis,nihil ſæpiſſimè præter hordeũ apponebat & aquam,ſed animo delicias faciebat ad aram, in qua ſacris quotidie paſtus epulis, adeo cœleſti madebat rore, vt per oculos efflueret. Tandem quem ſecutus fuerat manibus, & argenteis donis æquare voluerat Arnulphum, ſecutus eſt & pedibus in Eremum. Nam eius legens veſtigia, in voſagos

montes & ſyluas iuxta Moſellam ſeceſſit. Sed à ſpinis detentus, ad Arnulphum non peruenit. In loco enim qui Spinalium nunc dicitur (haud dubium quin à ſpinis) & Voſagum eſt oppidum, à Romaricio monte quem incoluit Arnulphus, tribus diſtans milliaribus, hæſit; virginúmque[5] cœnobium ædificauit, cui[6] Preciam filiam ſuam natu maiorem præficiens, poſuit lilium inter ſpinas, dilectam inter filias.

NOTÆ.

1 *Extincta eſt*, &c.] Cæcitatem patientiſſimè tulit, identidem Iobi verba vſurpans. *Sicut Domino placuit, ita factum eſt, ſit nomen Domini benedictum.*

2 *S. Stephani.*] Monente Angelo, vt eò ſe conferret.

3 *Ab S. Arnulpho.*] Qui ex reuelatione Diuina acceperat Goerricum eſſe ſubſtituendum.

4 *Cum templo*, &c.] In honorem Sancti Petri Apoſtoli.

5 *Cænobium.*] In honorem Sancti Mauricij.
6 *Preciam.*] Vulgò *Sainƈte Price.*
Claruit in terris circa annum 631. In cœlis verò natus eſt 19. Septembris.

Ex Epiſc. Madaur. l. de Epiſc. Metenſib. Surio, & Ruyz.

SANCTVS HVGO Epiſc. Gratianopolitanus.

LONGA fuit & pia [1] Hugonis cum [2] Gratianopoli pugna, in qua tandem dedit ille manus, ſed oleo Sacro perungendas; qui Romæ inauguratus, & à Pontifice dimiſſus Gratianopolim venit, vbi, quod ouile putauerat, lupanar fuit. Vxorati enim paſſim Sacerdotes, aut publico pellicatu infames, ad aras crimina ferebant, & turpes hirci immaculatum immola-

bant agnum. Laicorum domos vitiis æquè ac diuitiis implebant vſuræ, & coniugum vagi concubitus, incertas miſcebant proles, quæ ex furtis natæ, in alienas hæreditates furtiuè irrepebant. Perculit Hugonis animum, tam tetra vrbis facies, non deiecit, qui ſacra in exedra, tonante Eloquentiâ, fuſiſque ad Deum precibus, exulantem primùm reuocauit pudorem; cuius adminiculo, cæteræ quoque virtutes, amandatis in barbariam vitiis, in vrbem rediere. His biennio peractis, ab honorato munere fugam meditatus, remoram iniiciente [3] Summo Pontifice, inire non potuit, quoad viſas in ſomnis ſeptẽ ſtellas ad genua ſuà conſidentes, in Brunone, & ſociis ſex, quaſi noui orbis Planetas ſeptem, excepit, iiſque locum, quem quęrebant, in Diœceſi ſua, tam aſperum montibus attribuit, vt eò ſceleris ſuadendi

aut

aut hominis perdendi gratiâ vel dæmonem ipſum, niſi rabie efferum accedere pigeret.[4] Carthuſia Eremo nomen fuit, in quam cum D.Brunone conceſſit Hugo, ſed ab eodem in caulas ſuas dimiſſus, quos inter niues conceperat ignes, per Diœceſim ſparſit, concionibus pręſertim ſacris, quas ita igneas habuit, vt aliquando mulier viricida, publicè occultum faſſa cirmen, pectus ſuum damnarit flammis, & crimen aquis. His ignibus leonem [5] Leoni Anti-Pontifici ſe prębuit. Iiſdem emortuam inter diſſidentes ſuſcitauit charitatem, è quibus obſtinatiorum flexit corda, vbi flexit genua. His item facibus nupſit paupertati, quam ita deperiit, vt annulo ſuo, cum calice aureo, quos in pauperes diſtribuit, ſibi deſponderit. His tandem, blaſphemiæ ſpiritum dedit in fugam, à quo 40. ipſos annos

pulſatus, ne minimum quidem accepit vulnus, cùm nunquam ſeriùs vicerit, quàm hoſtem viderit. Annis natus 80. è viuis deceſſit, duplici inſignis miraculo; Altero, quo 52. annis, quibus Epiſcopus fuit, quòd hominem ſe noſſet, mulierem nullam ne de vultu quidem, præter ancillam vetulam noſſe voluit, in eo ſexu vultum pecoris ſui non agnoſcendum Paſtori, ſed fugiendum ratus. Altero, quo diu inſepultum cadauer, fœtoris nihil emiſit, quòd corpus ab incorrupto didiciſſet animo, non corrumpi.

NOTÆ.

1 S*Ancti Hugonis*, &c.] Ex oppido nouo-Caſtro in Delphinatu prope Valentiam.

2 *Gratianopol.*] Gratianopolitani, vt Epiſcopum haberent Hugonem, profecti ſunt Auenionem, quòd ibi eſſet Hugo Cardinalis Legatus Pontificis Gregorij VII. eóque ſecutus fuiſſet legatum, rogatus Sanctus Hugo, vt illi, conſilio

& prudentia, probatæ vitæ Canonicus adeſſet; à quo, niſi poſt multas preces obtinuerunt, vt Epiſcopatum admitteret.

3 *Summo Pontificè.*] A tribus Pontif. hanc petiit facultatem, nec impetrare potuit.

4 *Carthuſia.*] Vbi nunc eſt celeberrimum cœnobium, Huius ſacri ordinis caput; in quo præpoſitus Generalis commoratur.

5 *Leoni.*] Petro Leoni, qui Pontificatum ambiebat contra Innocentium II. In Concilio enim, cui adfuit inter primos Hugo, anathema dictum eſt Petro Leoni.

E viuis diceſſit, Anno reparatæ ſalutis 1131. Cal. April.

Ex D. Guigone Priore Carthuſ. & Ribaden.

SANCTVS HILARIVS Epiſcopus Pictauienſis.

1 IN ſacris libris, piam edoctus ignorantiam, Deos ſuos neſciit doctiſſimus Ethnicus, mutíſque præbens aurem magiſtris,

cæleſtem didicit eloquẽtiam. A coniugio [2] ad inſulas Pictauienſes vocatus, à iugo tranſiit ad oleum, ſed quo ad luctam eſt inunctus [3] in Arianos, quos vbique tantis percuſſit veritatis radiis, tenebrarum filios, vt impatientes luminis, inuiſum iubar in [4] Phrygiam relegarint. In orientem (vt pote luminis ortum) deportatus, maiorem accepit lucem, & quæ nuſquam exulant virtus & ſcientia, propriam vbiq; nactæ patriam, ita fecere cõſpicuum, vt pæne hæreſeos caput eliſerit, quò ne [5] caudæ noceret, fuerat amandatus. [6] In Concilio enim Seleuciæ Iſauriæ, tam multa pro fide orthodoxa dixit probauítque, & Conſtantinopoli apud Conſtantium Imp. vt in [7] capite nutarit hæreſis, quæ ex ictu corruiſſet, niſi Valentem habuiſſet columnam, [8] quo, & Vrſacio agentibus, ab Imp. iuſſus eſt Hilarius (reditûs no-

mine quò [9] hilariùs rediret) in Patriam 2° exulare. Galliæ reddito tanto viro, hæreſis & vitia in exiliũ abiere viciſſim, & contrà, virtutes, & Catholici reuixere omnes, imò & puer morte priùs extinctus, quàm ſalutaribus eſſet tinctus aquis. Vna excepta eſt [10] Apra eius filia, in matrimonio, antequam Epiſcopus eſſet, ſuſcepta, quæ paternis [11] occiſa precibus, nullo morbo aut dolore paranympho migrauit ad ſponſum, (paulò antè patre ſuadente nupſerat CHRISTO) in ea puella, omnes ſuos poſteros præmiſit in Cœlum parens optimus, qui non putauit eſſe ſecurũ caſtitatis filiæ ſuæ theſaurũ, quoad vidit altè defoſſum, nec cõtrà, ſecuros nepotes, niſi elatos.

NOTÆ.

1 *IN Sacris lib.*] Chriſtianos euoluens codices fidem Chriſti amplectitur, nobi-

lis Aquitanus & coniugatus.

2 *Ad infulas.*] Vxore adhuc ſuperſtite.

3 *In Arianos.*] Quos ſcripto libello, & ad Conciliabulum Biterrenſe miſſo, in Chriſtum blaſphemos conuicit; quare ab Imp. Conſtantio ſectâ Ariano impetrarunt vt exularet.

4 *In Phrygiam.*] Prouinciam Aſiæ, vbi 12. libros de Trinitate ſcripſit. *Ex Adone.*

5 *Ne Cauda.*] In Gallia.

6 *In Concilio.*] Adfuit illi Concilio, Conſtãtij Imp. iuſſu coacto, ac Diuinâ ita diſponente prouidentiâ, vt hæreticos agitaret: qui enim curam habebant conuocandi Epiſcopos, Hilarium etiam, quòd Epiſcopus eſſet, præter mentem Imp. inuitarunt.

7 *In Capite.*] Imperatore & Oriente.

8 *Quo & Vrſacio.*] Arianæ factionis primipilis.

9 *Hilarius.*] Doluit tamen quod Martyrio vitam non finiiſſet in Phrygia, & à patiendi diſcederet Palæſtra.

10 *Apra.*] Petierat à patre exule facultatem nubendi cuidam nobili, reſcripſit pater vt aliquantiſper expectaret, daturum ſe illi nobiliſſimum, formoſiſſimum, amantiſſimum, & omnibus numeris abſolutiſſimum ſponſum, quem redux ſuaſit vt admitteret, nimirum Chriſtum.

11 *Occiſa precibus.*] Cognito in puella gratiæ ſtatu, petiit & obtinuit vt cœlo donaretur.

Viuere deſiit anno circiter 373. die 13. Ianu.

Ex Fortunato & Ribaden.

SANCTVS LVPVS Epiſc. Trecenſis.

EN Lupus, fugite ouiculæ; imo paſtor eſt, oues accurrite; [1] E ſiluis Tullenſibus egreſſus hic Lupus, [2] Chriſti caulas, ad ann. 426. [3] Trecis ingreſſus eſt, non ad mactandas oues vt lupus, ſed ad cuſtodiendas vt paſtor: quem vt rite ageret, noctes ipſas vigil in orationibus trãſegit, aut aſſeribus, viginti totos annos, pro lectulo eſt vſus, vnicâ præter cilicium contentus veſte. Lupis infenſa, Lupum hunc vidit & mirata eſt [4] Anglia, in qua ſub ouina pelle, latentem lupum detexit [5] Pelagium, qui viſo lupo, vocem amiſit. Si [6] Attilam, in ouile admiſit ſuum, flagellum Dei, quaſi minitans, ex iuſtitia, ſceleribus

oſtendit, ſed [7] ex miſericordia, à verbere abſtinuit. Vno verbo, Lupus hic, Lupi habuit nihil, ouis omnia; præterquam quod ſæpe triduanam, vt lupi, ſuſtinuit inediam, ſed Chriſti cauſâ, libénſque. O ſæcula aurea, quibus Lupi, Paſtores! ô ferrea, quibus Paſtores, lupi!

NOTÆ.

1 E *Siluis Tull.*] Tulli Leucorum (*Toul*) natus eſt Sanctus Lupus.

2 *Chriſti caulas.*] Quas rexit annis 52. poſt factum ex pietate, ab vxore Pimeniola Sancti Hilarij Arelatenſis Sorore, diuortium, & poſitum Lirini tyrocinium.

3 *Trecis*] In Campania Gallica.

4 *Anglia.*] Quò cum Sancto Germano Antiſſiodoren. Epiſc. Profectus eſt.

5 *Pelagium.*] Diuinæ gratiæ hoſtem.

6 *Attilam.*] Hunnorum Regem, Gallias deuaſtantem, quem cùm rogaſſet Lupus, quis eſſet, qui tantis cladibus Gallias attereret: & Flagellum ſe Dei eſſe ſubieciſſet, eo nomine illi vrbis Tricaſſinæ portas aperiri iuſſit. *Ex promptuar. Eccl. Trecen. Camuſat.*

7 *Ex miſericordia*, &c] Addit enim apud eundem Camuſatium Nicolaus Olanus, regem Barbarum verbis Sancti Lupi ita emollitum fuiſſe, vt Trecenſem vrbem illæſam tranſierit; Petrus verò Equilinus, Attilæ milites à porta vſq; ad portam veluti cæcitate percuſſos tranſiiſſe.

Abiit ad ſuperos Sanctiſſimus hic Præſul, ſecundum calculum Baronianum anno 479. die 29. Iulij.

Ex Miſcell. Hiſt. Camuſat. in Notis ad acta martyrij S^ti Memorij.

SANCTVS MEMMIVS Epiſc. Catalaunenſis.

A B D. Petro miſſus Catalaunum Memmius, quòd lapideos conténeret DEOS, [3] lapidibus pene obrutus, ex vrbe pulſus eſt, ſed ad primum confugiens, ab vrbe lapidem, ab aliis tutus fuit, quoad ſaxa in cordibus &

manibus Catalaunorum molliit aquâ; quod ſic contigit. Venabatur auem puer Præfecti filius, Lampas nomine, at de ponte [t] in fluuium lapſus, factus eſt præda venator, & piſcibus eſca, qui aues inſectabatur. Monitus eius parens currit ad aquas filij, & ſuas: & his mergitur, quòd illis filius. At ex aquis non extrahit, qui præter aquas nihil porrigit. Ex eremo ſua [s] Buxera accerſitur Memmius, qui ſtatim ſuſcitat Lampadem, & Catalaunenſibus dat videre, quam reſpuerant lucem, nec ſine flammis. Nam certatim, & plurimas idolis ſubiecerunt. Poſtridie in vrbem rediens, ipſo in limine, tribus oculos cæcis aperuit, vt quam dederat, firmaret lucem mentibus, cùm daret corporibus. Ab eo tempore ad annos 80. quos vno parturierat anno, creditur aluiſſe, & ad 120. vixiſſe; quòd niſi viribus fractũ,

auſa mors fuerit aggredi eum, quem experta fuerat, in Præfecti filio, & [6] Domitiano Diacono potẽtiſſimum victorem. Sed licet eum ſepulchro clauſerit, ſatis ſe viuere ſemel atque iterum probauit; [7] Primò cùm in modum putei diſcedente terrâ (quo tempore ex æſtu arebant flumina) aquas fudit copioſiſſimas, vt etiam tum ſe fontem indicaret, quem Catalaunenſes ſiccitatis tempore adire deberent. [8] Secundò cum iterum retectum eius feretrum, quantumuis plumbeum ac decempedale, vndiq; viſum eſt à terra remotum & ex aëre abſque adminiculis pendulum. Num viuit, qui tot annis, multo licet obrutus plumbo, in terram vſque deiici non potuit.

NOTÆ.

1 *MEmmius*]. Gall. *Memie*, ſeu *Mange*.
2 *Ab D. Petro.*] Poſtquam Memmius

ſalutaribus tinctus eſt aquis, ab Apoſtolorum Principe, miſſus dicitur ab eodem, Catalaunum, ad annum 46. cum Donatiano Sacerdote, & Domitiano Diacono.

3 *Lapidibus.*] Auditâ eius concione primâ, lapidibus extra vrbem eiectus eſt à Catalaunenſibus, quòd contra Deos loqueretur.

4 *In Fluuium.*] Matronam, vulgò *Marne.*

5 *Buxerâ.*] Milliari vno Gallico ab vrbe Catalaunenſi diſſita, vbi Catalaunenſium cedens furori, tuguriolum ædificauit, in quo annum vnum ſumma cum egeſtate permanſit.

6 *Domitiano.*] Cum Roma diſceſſiſſet, octauo ab vrbe lapide, moritur Domitianus, quare ad D. Petrum redit cum Donatiano Memmius, qui acceptâ à S. Apoſtolo veſtis ſuæ fimbriâ Domitianum ſuſcitat.

7 *Primò*, &c.] Tempore Dagoberti primi, anno circiter 631. 5. Maij, cantantibus Diuinas laudes Clericis terra diſceſſit, in modum putei, alti 40. pedes, vnde aqua, licet areſcerent fontes, putei, & flumina, tanta erupit, vt marginem ſuperarit.

8 *Secundò*, &c.] Anno ſcilicet Chriſti 878. primo Pontificatus Bernonis Epiſcopi Catalaun. 35.? cùm iuſſu Caroli Calui, Sancti Memmij Sepulchrum retegeretur, octauo Calend. April.

Feſtus eius dies celebratur 21 Decemb.

Ex Annal. Eccl. Catalaunenſ.

SANCTVS [1] *PRÆIECTVS Epiſc. Claromont.*

VICTORIAS SS. Martyrum Caſſij & [2] Sociorum ſcripſit atramento Præiectus, ſuas ſanguine, cùm Martyrij coronam eſt adeptus; impleuítque moriens, quod præſagierat naſcens; abiit in cœlos purpureus, qui matri prægnanti viſus fuerat ſanguineâ tinctus aquâ ex aluo prodire. Antequam Abbas à Fœlice Aruerniæ Antiſtite, & ex Abbate Epiſcopus à Clero legeretur, Sacerdos fuit, ieiuniis & ſolitudini tam addictus, vt tempore Quadrageſimæ, à laicorum conſortio, quòd [3] carneos reputaret, ſemper abſtinuerit; tàm profuſus [4] in egenos, vt Deus ipſe in eius marſupio creauerit aut cuderit [5] aurum, quod pauperibus rependeret,

& ſummo Regi ab eleemoſynis eſſet. Expetierant eum, antequam habuerunt, Aruernicæ inſulæ; ſed fraude, & pactâ cum profanis hominibus pecuniâ, [6] Giroaldus quidam ad ſe detorſerat, quibus cum faſtu abuſus, poſt 40. dies tanquam impœnitens Niniue eſt ſubuerſus, & ſuffectus in eius locum Præiectus. At in ouili ſuo, duos reperit Lupos bonus paſtor, à quibus eſt [7] dilaniatus: quorum alterum nomine Radabertum genere Saxonem, abroſerunt vermes, quòd abſque anima, ac proinde mortuum exiſtimarent eum, qui animæ ſuæ tam nullam haberet curam. Alter verò [8] Vrſio (à fera fortè viſa dictus) brachium fregit, brachio quippe indignus, qui tam malè vteretur. Petitâ tamen ab Diuo veniâ, brachium recepit, vt in honorem Martyris, eodem conſtrueret Martyrium quo fecerat Martyrium.

NOTÆ.

1 S*Anctus Praiectus.*] Alias Proiectus, Gall. *Sainct Prix*, nobilis Aruernus.

2 *Sociorum.*] Sex millium & ducentorum à Barbaris duce Croco, Claromonte in Aruernia occiſorum, Imperantibus Valeriano & Galieno.

3 *Carneos.*] Cœnantibus aliquando cum illo ſex conuiuis, tres à carnibus abſtinuerunt, exemplum ſecuti hoſpitis ſui Præiecti; quod irridentes alij 3. ſubſidente Pauimento corruerunt, ſtantibus in ſede ſua cum Epiſcopo cæteris.

4 *In egenos.*] Peccatum ſe admiſiſſe putaſſet, ſi pauperi negaſſet ſtipem.

5 *Aurum.*] Bis hoc Contigit.

6 *Giroaldus.*] Archidiaconus Claromontanus.

7 *Dilaniatus.*] Quòd anathematis fulmine perculiſſet quoſdam nobiles, ſubditorum tyrannos. Hanc enim infamiæ notam non ferentes, miſerunt ſacrilegos ſatellites, qui primò Marium Abbatem trucidarunt, quod eum putarent eſſe Præiectum: ſed errorem ſuum ab eodem Præiecto edocti, in eum irruerunt, & in eius Sacerdotem Elidium anno 670. die Ian. 25. *Ex Sigeberti Chron.*

8 *Vrſio*, &c.] Ad Sancti Præiecti ſepulchrum veniam rogaturus acceſſit, & brachium recepit: quare templum non ignobile in honorem ſancti, ſuis ſumptibus ædificauit.

Ex Rib. & And. Du Val,
Doct. Sorbon.

SANCTVS PATIENS Epiſc. Metenſis.

NON tulit Patiens vacuam eſſe Metenſis Eccleſiæ ſedem; Defuncto Fœlice Metenſi Antiſtite tertio, quartus adfuit continuò ex Pathmo ab ſanctiſſimo Ioanne, miſſus qui in ea tum exulabat Inſula, aut à quo totus præter hanc Inſulam exulabat orbis. Rogatus enim ſanctus Euangeliſtes, (quòd Clemens Pont. à Traiano in Tauricam Cherſoneſum amandatus adiri non poſſet) vt Metenſi Paſtorem daret ouili, ad eum laborem ſubeundum hunc elegit, quòd patiens eſſet: qui licet Diuo eſſet Ioanni, quod olim Ioannes Chriſto; ab illius ſummi Theologi penderet ore, & in eius recumberet ſinu; æquo

tamen animo paſſus eſt,ab eo ſe auelli,vt Metas accurreret; quo ſecum tredecim ſacrarum exuuiarum particulas attulit, & Metis dedit, vt pote hoc numero gauiſuris olim, in parœciis totidem, & [2] tredecim-virûm Magiſtratu. Hæ fuere ex xII. Apoſtolorum palliis totidem fruſta (quibus vrbs ſi non tegeretur, ſaltem protegeretur) & Diui Ioannis Euangeliſtæ [3] dens vnus, qui ex eius ore ſenio excuſſus in Patientis venerat manus. In cuius autẽ decidui, aut extracti dentes venire ſolent, niſi in Patientis manum? Vt fines attigit Gallicos, gallorum linguam, quam nunquam didicerat, tam perfectè calluit ex Aſia Græcus, vt media in Gallia natus videretur, quo Paſtoris ſui vocem oues audirent, & ſequerentur. Quatuordecim annis, agens multa, plura patiens,hoc ouile rexit, non Labani ſed

Chriſti, quibus expletis conſecutus eſt in Rachelem, æternam fœlicitatem.

NOTÆ.

1 E*Vangeliſta.*] Cuius Sanctus Patiens diſcipulus fuit, in primis carus.
2 *Tredecim-virûm.*] Vulgò, *les Treze.*
3 *Dens.*] Adhuc ſupereſt dens ille in celeberrimo Sancti Arnulphi cœnobio Ordinis S. Benedicti.

Ex Madauren.in Ep. Metenſib.

SANCTVS PAVLVS Epiſc. Virdunenſis.

ESTO, CHRISTI frumentum ſit Ignatius Martyr, panis erit [1] Paulus, qui ardenti in [2] furno coctus, delicias præ-

buit Regibus [3] Clothario, [4] Dagoberto, & [5] Grimoaldo eius conſanguineo, quibus virtutum nomine, tam gratus fuit, vt pinguem eum fecerint, oleo ſacro, & diuitiis, quibus [6] Epiſcopatum auxerunt Virdunenſem, eíque [7] præfici curarunt. Viuebat is in [8] Theologio Treuirenſis Diœceſeos cœnobio [9] Heduus, cui cùm aliquando incubuiſſet ordine ſuo fratribus panem pinſere & coquere, impoſiti muneris oblitus, orationi ſe dedit, in eáque exarſit qui in furno ardere debuerat ignis; donec redeunte in memoriam paulò ante prandium, qui exciderat, pane, igneus ad ignem currit, furnum incendit, eúmque ingreſſus, vt cineres prunáſque citiùs euerreret, tam exit illæſus ab igne, ac ſi emergeret è flumine (quippe maioribus ceſſere minores flammæ, & terrenæ cæleſtibus.) Cui ſic nocere non

potuit ignis, nec mentis aciem hebetauit vanitatis fumus. Ad paralyticum enim oculos demiſit, panémque porrexit, qui ſanum cùm fecit comedentem, charitatis igne ſe coctum probauit. [10] Nouem & viginti annis Epiſcopus præfuit viuus, pluribus mortuus: ab ouili enim ne recedere quidem furto ſublatus voluit, dùm qui è [11] loculo ſacras eius abſtulerant exuuias [12] fures, errore viarum tota nocte detinuit, donec accurrentes [13] oues, paſtores Paſtori ſe præbuere, & à rapacibus Paſtorem manibus [14] recepere. Nunc inter candida ſacri Præmonſtratenſis Ordinis vellera quieſcit, quòd oues amet bonus Paſtor.

NOTÆ.

1 *PAulus.*] Qui fuit Epiſcopus Virdunenſis XIII. ad annum 621.

2 *Furno.*] V. infrà.

3 *Clothario.*] Secundo, Dagoberti parenti.

4 *Dagoberto.*] Huius nominis Primò.

5 *Grimoaldo.*] Principi, Clotarij & Dagoberti conſanguineo, poſtea Diacono, & huius Sancti Pauli diſcipulo.

6 *Epiſcopatum auxerunt*, &c.] Cum ad Epiſcopatum acceſſit Paulus, tanta penuria vrgebat Clerum Virdunenſem, vt multi aliò diſcederét; ſed rogante Grimoaldo, Rex Dagobertus Eccleſiæ Virdun. multa contulit Dominia, & magnam pecuniæ vim, quâ S. Paulus Baſonis-Villam (*Baſonuille*) emit & Canonicos aluit: præter oppida & prædia, quæ idem dono dedit Grimoaldus, ac imprimis Monaſterium Theologium, & oppidum quod vulgò dicitur, *Freſne.*

7 *Præfici*, &c.] Volebat Clotharius Grimoaldum Epiſcopatui præficere, ſed Grimoaldus in Magiſtrum ſuum Paulum infulas detorſit.

8 *Theologio.*] Monaſterio in Treuirenſi Diœceſi ab eodem Grimoaldo ædificijs, & reditibus aucto. Dictum eſt autem Theologium, quòd in eo Aſcetæ de Deo colloqui, & rebus cœleſtibus ſolerent.

9 *Hednus.*] Ex vrbe vel agro Auguſtodunenſi in Burgundia, *d'Autun*; fratrem illum aſſerunt aliqui S. Germani Epiſcopi Pariſienſis.

10 *Nouem*, &c.] Obijt anno 649. ætatis 72. 8. Febr.

11 *E loculo.*] Iacebat extra vrbem in templo à ſe erecto in honorem Sancti Saturnini Toloſatum Apoſtoli (dicto poſteà S. Pauli) de cuius

ſacris reliquijs particulam obtinuerat per Grimoaldum à Rege Dagoberto, cùm illas Toloſâ ad Cœnobium S. Dionyſij tranſtulit.

12 *Fures.*] Monachos Theologienſes, quòd viderent in templo ſuburbano,& à militibus direpto,non tanto ac decebat honore coli.

13 *Oues.*] Ciues Virdunenſes, qui per S. Sacerdotem cælitùs edoctum de furto moniti, aſſecuti ſunt fures, in loco, qui nunc dicitur Pauli crux, incolis corruptè loquentibus, *Pale-croix*, quòd ibi crux in recepti Sancti præſulis memoriam ſit erecta.

14 *Recepere.*] Præter partem capitis, quam his pijs furibus conceſſerunt.

Ex Antiquit, Gall.Belg. Vvasb.in S.Paulo.

SANCTVS PROSPER Aquitanus Episc. Regienſis.

PROSPERVM ſua loquuntur doctrinæ opera doctiſſimū; ſanctiſſimum pietatis. In ea enim cùm incidiſſet ſacri codicis ver-

ba : [2] *Vade , vende omnia quæ habes, & da pauperibus :* quia oculos aperuit, nihil poſtmodum domi vidit : abierunt illi omnia è manibus ; imò & ſerui ipſi aut mancipia, quos manumittens, in libertatem pro Chriſto aſſeruit, & ſeipſum in vincula coniecit virtutis. Ad limina Apoſtolorum peregrinum , peditem alata præuenit fama , quæ illi adeo conciliauit Leonem Magnum , Pontif. Max. vt ad [3] Palatium ſuum inuitarit , quòd excipiendis tanti viri meritis non par eſſet minus hoſpitium. Quo die Romam ingreſſus eſt , Proſper , multa tum orbis caput ſubiit doctrina, vnde ad [4] Chalcedonenſe Concilium miſſus , in eo nihil errauit , quòd mens eſſet Pontificis, quæ in rebus fidei definiendis errare non poteſt. Sed ab eodem Pontifice iterum miſſus , [5] Regium Epiſcopus, indoluit, quòd im-

paribus humeris onus imponi putaret, & ab amico Leone recederet, ad hoſtes lupos, quos ita oppugnauit, vt in illis [6] Pelagianam hæreſim, verbo & ſtylo confoſſam, mori coëgerit. Aliquot pòſt annis, aperta eius ſacra [7] Lipſana tam ſuauem dederunt odorem, vt ex eo cœleſtem nemo non agnoſceret aulicum, & hinc abeuntem, curſum in Cœlos tenuiſſe Proſperum.

NOTÆ.

1 *OPera.*] Ea adprobauit Gelaſius Pontifex Max. in Concilio quodam Romano.

2 *Vade vende*, &c.] Cùm hæc legiſſet in ſacris codicibus, vendidit omnia egeniſque diſtribuit, & mancipia ſua, libertate donauit.

3 *Ad Palatium.*] Pontifici dicitur ab epiſtolis fuiſſe, & reſponſa dediſſe pro Leone, quæſtiònibus ab Eccleſia propoſitis.

4 *Chalcedon Concil.*] Contra Neſtorium & Eutychetem, duas in Chriſto naturas negantis.

5 *Reginm.*] *Riez* in Gallia Narbonenſi, non

in Longobardia, vt probat Baronius.

6 *Pelagianam hæres.*] Illam omnino oppreſſit Proſper, inquit Photius in Bibliotheca, & Baron. ad ann. 444.

7 *Lipſana*, &c.] Vt in alium locum ſacri eius cineres transferrentur, prout ipſe ſucceſſori ſuo Epiſcopo per ſomnium ſignificarat.

Abijt ad ſuperos anno 466. die 25. Iunij.

Ex Ioan. Anton Flaminio Imolenſi, & P. Ribad. Soc. Ieſu.

S. [1] PVLCHRONIVS *Epiſc. Virdunenſis.*

EDVCATVS is fuit Agnus à [2] Lupo, ab Epiſcopo Trecenſi, Virdunenſis futurus; quocum profectus in [3] Angliam, à Lupo didicit hæreſeon monſtra diſcerpere, & in lupos agnum exuere. Illum petiere Virdunenſes à Lupo Paſtorem, qui gregem paſcere & arare (ſi res ita

ferret) paratus, vt Chriſto meteret; adit ouile.[4] Ducentis triginta & duobus annis repertus erat nemo, qui Paſtoris aut Epiſcopi nomen, Virduni aſſumere fuiſſet auſus, ſed nihil veritus Pulchronius, Epiſcopum ſe tam profitetur, quàm probat, viduitatiſq; tam longæ, Eccleſiæ ſuæ compenſat diſpendia, qui rarior Phœnice, meliórque, non [5] dimidiam, quâ ſe ille parturit, ad naſcēdum inſumpſit moram. Vix illum tamen priùs Virdunum quàm [6] Roma infulatum vidit, vt Summi Pontificis & Paſtoris pedes, & pedum veneraretur: Quo tempore cùm [7] dicta eſſet dies Chalcedone, Neſtorio & Eutycheti blaſphemis in Chriſtum, eiúſq; Matrem ſanctiſſimam hæreticis, zelo ſuo dictam eſſe putauit, eò aduolauit actutum, quò eam tùtaretur vt filius, quam diligebat vt Matrem. Cuius ſtatuam redux

in trophæum conflari iuſſit, quæ ſerpentem aut hæreſim pedibus proculcaret, ne ſerperet longiùs; beatáque mater hoſte triumphato ſuperior videretur. Sedem item ſuam, quæ ad hoc vſque tempus, in ᵃ ſuburbio hæſerat, in vrbem tranſtulit, vt Vrbanus eſſet domo, qui erat moribus. Huic operi perficiendo, domum quæ patris ſui terreni fuerat, voluit eſſe cœleſtis; quæ hominis, Dei: priuata, communem; ſua, omnium: ſed D. Virginis præſertim, cui naſcenti dicatam eſſe voluit, vt in qua domo natus eſſet, in ea nata coleretur Virgo, cuius ſe totum ſuáque omnia ita eſſe cupiebat, vt ne cunas ſuas, ab eius exemptas dominio vellet. Quam autem ſic coluit naſcentem Pulchronius, eadem Pulchronium iuuit morientem, nam pro terrena cœleſtem, pro temporanea, domum accepit æternam, in qua

per mortem natus, ęternùm eſt victurus: quî enim mori poſſit, qui per mortem naſci potuit?

NOTÆ.

1 P*Vlchronius.*] Patriâ Virdunæus.
2 *A lupo.*] Tullenſi ciue, poſtea Epiſcopo Trecenſi & S. Pulchronij conſanguineo.
3 *In Angliam.*] Ad Pelagianam hæreſim euellendam.
4 *Ducentis.*] Quo temporis ſpatio octo ſucceſſiuè Doctores ſancti, vel ſenatores præfuere, quorum corpora eodem in ſepulchro Virduni iacent in veteri cœmeterio S. Vitoni,
5 *Dimidiam.*] Poſt 500. annos phœnix prodire dicitur, poſt 230. prodiit Pulchronius.
6 *Roma.*] Anno nondum elapſo Romam proficiſcitur, vt tum ſolebant Epiſcopi recens inaugurati.
7 *Dicta Dies.*] A Leone Magno Pontifice Max, procurante Mattiano Imp.
8 *In ſuburbio.*] In æde ſacra SS. Petri & Pauli, quæ nunc ſancti Vitoni dicitur, *ſainct Vanne.*
Cælum petiit, Anno à Chriſto nato 470. die 4. Maij.

Ex Antiq. Gall. Belg. Vvaſſburg. in Pulchronio.

SANCTVS [1] *SIDONIVS Apollinaris, Epiſc. Claromont.*

SVMMA nobilitas, eximia virtus, & vtrique par [3] ſcientia, adeo ſublimem fecerunt SIDONIVM, vt Cœlos, aliquando tetigerit. Dederat illi vxorem nobilitas Papianillam Imp. [4] Auiti filiam, coronas & ſtatuam, Roma, doctrinæ præmium; ſed relictâ vxore, pio vtriuſque conſenſu, & proiectis coronis, magnam eius capiti dedit virtus & ſanctitati, cùm Aruernicas impoſuit infulas; quas vt accepit, [5] Lupum inclamauit, non quo arceret ab ouili bonus paſtor, ſed vt ab ſancto viro & Trecenſi Epiſcopo, opem ad onus ferendum, & paſtoris obeundū munus impetraret. Quamuis adeò ſan-

ctè obierit, tantíſque decorarit virtutibus, vt [6] Archiepiſcopi Bituricenſis electio, vnius Sidonij arbitrio (quod vir eſſet tantus, vt ſolus Clerum, ſolus Concilium agere poſſet) ab omnibus Epiſcopis, communi conſenſu delata ſit. Eandem tamen Sidonij virtutem non ita venerati ſunt Sacerdotes duo, qui cœleſtibus vehementer intentum Antiſtitem, terrenis exuerunt prædiorum fructibus, victum illi tam parcâ, quàm ſacrilegâ ſuppeditantes manu. At terrâ ſic exutus cœlum adiit, vt faciliùs, ſic frequentiùs; ex quo ditior factus eſt & potẽtior, nam cùm Sidonio ad templum acceſſum impedire iidem exleges Canonici ſtatuiſſent, non impedierunt ad Deum; à quo eius impetrarunt preces, vt ſibi in Templum aditus pateret, & vtriq; eorum æternùm clauderetur; qui ex numero expuncti

ſunt viuorum, quòd eſſe nollent bonorum. Primus enim egeſtis viſceribus Aruernus [7] Arius, Auernum petiit: alter verò [8] genialibus indulgens epulis, ab eo qui cyathum illi porrigebat (vti [9] in ſomnis fuerat iuſſus ni mori vellet) ad diuinum vocatus Tribunal, viuere deſiit; & licet effluentem geſtaret calicem, bibere per mortem non licuit, quò æternùm ſitiret. Cùm calice autem immotus diu mãſit, vt in ſpectatorum animis, timoris & horroris excitaret motus, ſacrilegíſq; raptoribus, calicem furoris Domini ebibendum propinaret.

NOTÆ.

1 SIdonius.] Ex præfecto Aruerniæ factus Epiſcopus.

2 *Virtus.*] Præcipuè charitas in egenos, quibus vſque ad ſuppellectilem ſuam argenteam erogabat, quam poſtea vxor pretio redimebat.

3 *Scientia.*] Hanc teſtantur eius opera, quæ extant.

4 *Auiti.*] Galli, qui anno 455. ab exercitû Gallicano Toloſæ renuntiatus Imp. tertio pòſt anno, vitâ & Imperio caruit. *Ex Idatio apud Petauium in rationario temporum.*

5. *Lupum.*] Ad S. Lupum Trecenſem ſcripſit, vt eius iuuaretur precibus, in eo ferendo onere. Conquerebatur quòd peccatis onuſtus, pro alienis ex officio deprecari Deum deberet, & docere cogeretur, antequam didiciſſet.

6 *Archiep. Bituric.*] Vacante ſede Bituricen. cùm vix conuenire poſſent Epiſcopi, in eligendo Archiepiſcopo. in Sidoniũ vnum eligendi poteſtatem coniecerũt, qui Simplicianum virum ſanctum, cùm elegiſſet, omnibus gratiſſimum accidit.

7 *Arius.*] Statuerant duo illi nequiſſimi Canonici, Epiſcopo aditum prohibere in templum, matutinis horis. & ideo maturiùs ſurrexerant, ſed alter ab altero monitus, vt ex pacto adeſſet, inuentus eſt in feceſſu mortuus.

8 *Genialibus epulis.*] Cum vrbis Primatibus, quos conuiuio excipiebat, intruſus poſtm ortem S. Sidonij, Epiſcopus.

9 *In ſomnis.*]Vidit puer in throno multæ Maieſtatis iudicem, apud quem accuſatus à Sancto Sidonio alter è duobus illis Sacerdotibus, qui exceſſerat è viuis, in carcerem detruſus eſt; Alterum verò nimirum herum ſuum iuſſus eſt, ni vellet mori, ad diuinum vocare iudicium.

Vixit S. Sidonius circa annum 472. viuere autem deſiit 23. Aug.

Ex l. 2. hiſt. Francor. Greg. Turonen. & P. Ribad.

S. VEDA

SANCTVS VEDASTVS Epiſc. Atrebatenſis.

QVAS habuit obuias luces ex Germania [1] victor rediens [2] Clodouæus, has ſecum fidei Christianæ candidatus [3] Remos abduxit, quò clariorem ſuum redderet baptiſmum: inter quas Tullo Leucorum cum Rege profectus [4] Vedaſtus, [5] non longè ab [6] Axona fluuio, lucem [7] cæco de ſua accendit luce, & maius fidei lumen Clodouæo ingeſſit: A cuius lota & ſacra manu, donũ regium & Sacrum D. Remigio factus, vt latentem in pectore, cum aliarum virtutũ choro, [8] charitatis flammam continere non potuit, ita nec meritas declinare infulas, quas cùm

impoſuit Remigius, & Vedaſto manus inunxit, oleum flammæ iniecit. Igneus enim [9] Atrebatũ petiit [10] pſeudo-numinum cultui addictum; vbi dum tenebras è cœci oculis expulit, multorum abſtulit mentibus: & ferâ ex vrbis Pomerio [11] vrsâ procul abire iuſsâ, feritatem ex ciuium moribus ablegauit; quibus excolendis, 28.incubuit annis, flumen fundens ſacrum ore & dexterâ, eloquij & baptiſmatis: imò & oleum, quo vulneribus mederetur ouium, & manus vngeret Paſtorum. Paucis ante mortem diebus, eius ædibus inſedit columna ignea, quæ funereas accedendas eſſe faces, & proximos S. Præſulis cineres indicauit. Sed & corda in Diuum incendit plurimorum, atque imprimis (licet multis poſt annis) Regis [12] Theodorici, qui ampliſſimos reditus, eius templo attribuit, in eóque ſepeliri

cum Doda vxore ſua voluit: quo facto, & abiectâ ad Diui pedes coronâ Vedaſti ſanctitatem, & ſuam coronauit pietatem.

NOTÆ.

1 *Victor.*] De Alemannis contra quos ad Tolbiacum Rheni oppidum dimicans, in ancipiti pugna vouit Deo, cui credebat Clotildis Regina, vxor ſua, ſi victoriam concederet, ſe Chriſtianum fore.

2 *Clodouaus.*] Primus è francorum Regibus Chriſtianus.

3 *Remos.*] Campaniæ Gallicæ Metropolim.

4 *Vedaſtus.*] Gall. *Vâ*, Tullenſis patriâ, piis tum operibus & commentarionibus deditus.

5 *Non longè*, &c.] Ad pagum qui tunc *Vongiſe* dicebatur, prope Reguliacam Villam, *Rilly.*

6 *Axona.*] Gall. *La riuiere d'Aine.*

7 *Cœco.*] In nomine Sanctiſſimæ Trinitatis oculos cœco aperuit, quò Clodouæum ab Arianiſmo auerteret.

8 *Charitatis flammam.*] Quâ Remorum pagos obibat pius Doctor & Catechiſta.

9 *Atrebatum.*] Gall. *Arras*, Arteſiæ caput & oppidum munitiſſimum, quod anno 1640. potententiſſimâ & in æuum memorandâ obſidione

cinxit & breui in oculis hoſtium, cepit Chriſtianiſſimus Rex Ludouicus XIII.

10 *Pſeudo-numinum.*] Poſt vaſtitatem ab Attila huic regioni allatam,& diruta templa.

11 *Vrſa.*] Cum vetuſta inquireret templi cuiuſdam veſtigia, quò nouum poneret, erupit è cauernis immenſæ proceritatis Vrſa, quam procul ſecedere iuſſit nunqum redituram.

12 *Theodorici.*] Summâ obſeruantiâ colebat S. Vedaſtum Rex Theodoricus, cuius templum & cœnobium magnificis auxit donis.
Deceſſiſſe creditur circa annum 540. die 6. Febr.

Ex Albino Flacco Alcuino, & Ribadeneira.

SANCTVS[1] VITONVS *Epiſcopus Virdunenſis.*

E Tenebris[2] in lucem emergere cœpit, cùm ab idololatria Francorum Reges; datúſque eſt Virduno Paſtor, cùm Chriſtiano gregi Clodouæus ouis acceſſit. Illum Virdunenſes eâdem voce dixerunt

Epiſcopum, quâ [3] Clodouæum acclamarunt Regem; eadémq; illi manu templum aperuerũt mitiſſimo viro, quâ vrbem [4] irato principi: coram quo, licet Cathecumeno, electus Vitonus, tàm gratus virtutum nomine, regiis accidit oculis, vt eum Remos ſecum ire, & Parentem in luſtralibus aquis, cum D. Vedaſto, pluribúſque aliis ſanctiſſimis è Gallia Præſulibus, habere voluerit. Inde Virduno redditus, officij memor, oblitus ſui, [5] ieiuniis, orationi, aliíſque virtutibus adeò conſtanter incubuit, vt earum odore & prodigiorum famâ Gallias impleuerit. Sed hæc omnia deleuerunt flammis incendia; pauciſſimis exceptis, qua B. Richardus celeberrimi Virdunenſis aſceterij Abbas, quod à Diuo Vitono nomen habet, eruit è cineribus, inter quæ [6] Draco numeratur, qui præſentiſſimã incolis ĩtentabat mor-

tem & ſæpe ſæpius inferebat,eius occiſus precibus (Pyrauſta aut Salamandra eſſe debuit, cui non nocuit ignis) Et leproſi à Pſora ſua per Vitonum purgati, qui meritò leproſi dici debent, qui tantos non ſenſerint ignes. Quod autem eædem voraces flammę, vigiliarum pepercerint memorię,orationum,piarúmque cõmentationum, quibus ſe ad monticulum, cum religioſis aliquot viris,circa ędem SS.Petri & Pauli exercuit, nihil rationis afferri poſſe putent, niſi quod omnino igneæ orationes fuerunt: ex quibus qui profluxit lacrymarum imber, cæleſtis ros fuit,quo fœcundum illud rigauit ſolum,vnde tam multi emicuere & floruere ſanctiſſimi viri, immo & collapſæ monaſticæ,diſciplinæ' inſtauratio. Ab hoc enim loco, qui ſancti Vitoni cœnobium dicitur, priſtinum ſanctiſſimi ordinis viuendi

morem, alia non ita pridem accepe- runt cœnobia quamplurima: adeò vt arce regiâ nuper concluſus, & ſacris SS. Sanctini, Vitoni, Poſſeſſoris & Pulchronij diues exuuiis, non immeritò dici poſſit ARX SANCTITATIS.

NOTÆ.

1 S*anctus Vitonus.*] Noſtratibus, *S.Vanne.*

2 *In lucem.*] Quia antea latebat cum patruo Euſpicio, qui pueros Virduni docebat, probatæ vitæ Sacerdos.

3 *Clodoueum.*] Cuius ſe dominio & poteſtati ſubmiſerunt Virdunenſes.

4 *Irato Principi.*] Quod Siagrium eius hoſtem, Romanum, in vrbem ſuam admiſiſſent.

5 *Ieiuniis orationi*, &c.] Circa monticulum, in quo erat SS. Petri & Pauli Templum, quod nunc Sancti Vitoni dicitur.

6 *Draco.*] Poſt indictas orationes & ieiunia, ad eius ſpeluncam S. Vitonus Sacerdotalibus ornatus veſtibus proceſſit, & iniecto in draconis collum facto vinculo, coram omnibus occidit.

7 *Inſtauratio.*] Nouiſſimè facta à piiſſimo viro Deſiderio *de la Cour*, præterquam quod

iam alias ab eodem Monaſterio in integrum reſtitutus ſit hic ſacer ordo.
Præfuit Eccl. Virdunenſi 27. ann. Deceſſit autem circa annum 527. 9. Nouemb.

Ex Antiquit.Gall. Belg. Vvasb.in Vitono.

SANCTVS SEVERINVS Abbas.

EX generoſo [1] Thebæorum Martyrum ſanguine non potuit Seuerinus Agaunenſi aſceterio Præfectus, non generoſos collegiſſe animos & plurimos virtutum flores: quorum afflatus odore, in eo quo iacebat [2] morbo [3] Clodouæus, Seuerinum [4] accerſiri voluit, vt præſens ſanctitas præſentem conferret Regi ſanitatem. Accepto nuntio paret Sanctus, & diſciplinæ ſuæ alumnos ſalue-

re iubet: qui quòd [5] lumine ſuo [6] priuandi eſſent, oculos ex eo tempore nihili fecerunt, lacrymis mergere cœperunt. Niuerno autem Lutetiam Pariſiorum contendens, quem ſalutare debuerat in lecto detentum à morbo [7] Epiſcopum, iuſſit valere: & verò valuit. Continuò enim è lecto exiliens, bene vſus quos receperat pedibus, templum adiit, & ſacris operatus, bene vſus eſt & manibus; populo ſuo mirabundo, de more eſt apprecatus. [8] Ad portas Pariſienſes vt venit Seuerinus, aquâ ex ore depromptâ leproſum lauit & purgauit, (purgãdis quippe apta eſt ſordibus, quæ diu eſt cineribus immorata.) Inde ſalutato in ęde ſua ſacra, immortali Rege, moribundum conuenit terrenum; coram quo flexis ad orationem genibus, extimâ exuit veſtem, quam iacenti ſuperpoſuit Regi. Sed qui coronato domina-

ri capiti, & in aula regnare ſuperbus cupiebat morbus, cæſçque maieſtatis reus, monachum induere noluit, vt veſtem ſenſit,aufugit. Fugit & Seuerinus ne monachus non eſſet, & ſpreto quod Rex offerebat [9] auro,in [10] eremum, ad [11] Nantonienſe caſtrum ſe contulit: non antè tamen quàm aulicos omnes, quos Regem ſuum par erat ſequi,priſtinæ reſtituiſſet incolumitati. O Medici quantas ad ſanitatem virtutes ſimplicibus indidit Deus!

NOTÆ.

1 THebæorum MM.] Legionis Thebeæ, cuius dux fuit Sanctus Mauritius iubente Imp. Maximiano, Martyrio coronatæ, in diœciſi Sedunenſi, *de Dion*, in loco vbi cœnobium S. Mauritii, a S. Sigiſmundo Burgundionum Rege eſt erectum, in Regione Valeſianorum, vnde dicitur, *St. Maurice en Valais.* Antea dicebatur Agaunum, quod veteri idiomate gallico, ſaxum ſignificat.

2 *Morbo.*] Acri febre & in Medicos contumaci.

3 *Clodoueus.*] Primus Francorum Rex Chriſtianus.

4 *Accerſiri.*] Medicis etiam ſuadentibus, & Seuerinum apud Regem laudantibus, propter ſanctitatem & miracula.

5 *Lumine.*] Nimirum ſole ſuo Seuerino.

6 *Priuandi.*] Quia illis aperuerat ſe non rediturum, & breui moriturum.

7 *Epiſcop.*] Eulalium, ab anno, morbo detentum.

8 *Ad Port. Pariſ.*] Ita Fauſtus, qui eius ſcripſit vitam, & Ribad. non ad portas Niuernenſes, vt quidam volunt.

9 *Auro.*] Rex illi obtulit quantum vellet aurum Pauperibus erogandum.

10 *In Eremum.*] A duobus cultam ſacerdotibus, Paſchaſio & Vrſione.

11 *Nantonienſe.*] Gallicè *Chaſteau Landon en Gatinois.*

Obiit vndecimo Feb.

Ex Fauſto, & Ribadeneira.

SANCTVS ODILO *Abbas.*

1 QVo die annum ingredimur, æuum ſempiternum ingreſſus eſt Odilo, xenia in cœlo accepturus nouus hoſpes, æternis beatæ vitæ Calendis. 2 Aruernus fuit patriâ, genere nobilis, à puero ſanctus. Vix enim exceſſerat ex cunis, cùm à gerula in templum deportatus, ad aras reptauit æger; ad quas cùm ſe ſiſteret Deo victimam, vt olim pro ſe Iſaacus arietem, ſic pro ſe ſenſit Odilo mactari morbum, & præcocis pietatis tempeſtiuum dari fructũ, cum ſanitate ſanctitatem. Nam inde acceptis viribus, Cluniacum confugiens, religioni nomẽ dedit, animum pietati. Cuius gratiâ poſt B. Maio-

lum [3] Abbas electus, Aſcetis ſuis [4] matrem, pauperibus [5] patrem ſe prębuit; quorum vrgentem ſemel famem bis depulit, cùm [6] ſacros calices diſtraxit. (Qui ſacrum dat aurum cùm pietas poſtulat bis dat) iſtud boni Paſtoris fuit, hoc ouis, quòd lanam ſuam [7] duobus dedit inſepultis, quos laneâ inuolutos tunicâ quâ erat indutus, terræ mandauit. (Æſtuanti quid multiplex veſtis opus?) Sed eius pietas licet clariſſima, nuſquam tamen ita claruit, quàm inter vltrices flãmas, quibus animæ purgantur; tantas enim flammas flammis oppoſuit, tantóque charitatis ardore, cum ſacro ſuo exercitu pius decertauit ſtrategus, vt bene multos, [8] Orco necquicquam frendente, eripuerit: inter quos, [9] Benedictum VIII. Pontificem ferunt, ardenti illa purpurâ exutum, Cælo redditũ eſſe candidatum. Ex quo [10] mos

piis manibus preces affundendi, poſtridie Calend. Nouemb. in Chriſtianum orbem profluxit. Mortuorum amans inter mortuos eſſe cœpit, anno à partu Virgineo 1049.

O mors quàm cæca tunc fuiſti, cùm eum peremiſti virum, qui tuos adeo deperiit.

NOTÆ.

1 Q*Vo die.*] Calend. Ianu. vti prædixerat, multis antè menſibus, ætatis ſuæ 87. officii 56.

2 *Aruernus.*] Ex equeſtri ordine.

3 *Abbas.*] Ab deceſſore ſuo Sancto Maiolo, propter eximias virtutes ſubſtitutus.

4 *Matrem.*] Erga inferiores tantæ fuit manſuetudinis & miſericordiæ, vt nimiæ lenitatis inſimularetur; ſed dicebat malle ſibi rationem eſſe Deo reddendam de nimia lenitate, quam de nimia ſeueritate.

5 *Patrem.*] Quod eorum neceſſitatibus paternè prouideret.

6 *Sacros calices*, &c.] Dum fames valida Aquitaniæ fines vehementer affligeret, exhauſtis

ærariis & apothecis, vaſa ſacra effregit & pauperibus diſtribuit.

7 *Duobus inſepult.*] Pueris fame enectis, quos in via reperit.

8 *Orco*, &c.] Vti retulit quidam peregrinus, qui Ieroſolymis rediens, acceperat à S. Eremita Siculo, Dæmones ſæpe conqueri de Odilone & eius Monachis, quorum precibus, à purgantibus flammis animæ citius eriperentur.

9 *Benedict.*] Qui Ioanni Epiſcopo Portuenſi poſt mortem apparuit, & rogauit vt Odilonem amicum ſuum moneret, ſe illius precibus & ſacrificiis eſſe liberandum.

10 *Mos*, &c.] Quod in ordine ſuo ſacro conſtituerat Odilo, vt poſtrid. Cal. Nouemb. ſacrificia & orationes fierent pro piè defunctis omnibus, hoc ipſum toto orbe Chriſtiano fieri præcepit eodem die Gelaſius Pontif.

Inter mortuos.] Siluiniaci, Gall. *Souuigny en Bourbonois*, diœceſis Clarmont.

Ex D. Petro Damiani.

SANCTVS ADELARDVS Abbas.

ABIIT ex [1] aula Princeps, ne diſcederet ab innocentia: valéque dixit vitiis, cùm rebus dixit caducis. Terreni Regis [2] conſanguineus latè dominari poterat, ſed æterno maluit famulari, qui Corbiæ in extrema Picardia Principem exuit, vt cum Monacho indueret Chriſtum. Vbi poſt aliquot annos, omnium voce Abbas dictus, & à Carolo Magno Pipini iunioris Rector electus, Principem & Abbatem ita miſcuit, vt [3] vtrumque [4] vtriſque ſe præbuerit: ſuis inquam regendis ac protegendis, cum Abbate Principem; Edocendo virtutes Principi, [5] cum Principe Abbatem. Agente tamen apud Ludoui-

cum

cum Pium calumniā (quæ tantum mendaci linguæ addidit quantum detraxit fronti) in Aquitaniam exulauit, at non eius virtus, quæ licet cum eo profecta, apud ſuos tamen manſit, è quibus [6] germanos duos, ac totidem [7] ſorores ſuas, Chriſto peperit ac Religioni, ex fratre parens. [8] Ab exilio reuocatus, quòd calidiore vſus fuiſſet cælo, frigidior redire non potuit; ſtatim priſtinum res ſuas profundendi ardorem reuocauit, piè largitus vt Abbas, magnificè vt Princeps. Qua de re conquerētibus domeſticis, [9] currus aliquando cibariis onuſtos miſit Deus, vt hinc Adelardi diſcerent virtutem mali, & ſuam boni in Deùm alerent fiduciam.

NOTÆ.

1 *AVla.*] Caroli Magni.
2 *Conſang.*] Filius Bernardi fratris Pi-

pini Regis, & cognatus Caroli Magni.

3 *Vtrumque*, &c.] Cum Abbate Principem, quia fortiter vt Princeps, amanter vt Abbas rexit & protexit.

4 *Vtriſque.*) Pipino, & Aſcetis ſuis.

5 *Cum Principe Abb.*] Quia præter vitæ communis & Aulicæ vrbanitatem, pietatem etiam docuit.

6 *Germanos.*] Fratres ſuos, Vvalam & Bernarium.

7 *Sorores.*] Gundradam, & Theodradam.

8 *Ab exilio.*] Poſt VII. annos.

9 *Currus.*] Eo ipſo momento, quo vnus è domeſticis apud illum conquerebatur, de liberalitatis exceſſu, quâ res Monaſterij profundebat: ſed hoc viſo, orationem mutauit & hortatus eſt Abbatem, vt pergeret; Da inquit pater deinceps, da quantum volueris.

In Ordine S. Benedict. illi ſacer. eſt 2. Ian.

Ex Paſchaſio Radberto Corbienſi Cœnobiarcha poſt Adelardum 6°.

SANCTVS CLARVS *Abbas.*

VIx prius nomine, quàm pietate & miraculis clarus, qui [1] Viennæ Allobrogum puer, iiſdem armis irati Dęmonis flammas, & ſæuientis Rhodani aquas ſuperauit, precibus. Sacras enim ædes cum Matre piiſſima viſere ſolitus, periculum incurrit vitæ ab intumeſcente, quem nauigio tranſibat Rhodano, vel Dæmone, ſanctiſſimas in matre & filio pietatis flammas aquis extinguere meditante. Sed ad [2] Diui Ferreoli, vnde redibat, tenellas obtendens cum prece manus, non ſeriùs petitum accepit auxilium, quàm poſtulauit, quo Dæmonem ab aquis in flammas ſuas redire compulit, & tumentem Rho-

danum ad ſolitas repreſſit aquas. Acceptum in vndis,in vndis non ſcripſit beneficium, qui quam primùm per ætatem licuit,Deo reddidit & Ferreolo quam ſeruarant vitam, in huius cœnobio, illius obſequio addictus per monaſticam diſciplinam : in qua virtutum gradibus, ad [3] monaſterio viduarum [4] pręfectum,hinc ad [5] S.Marcelli Abbatem conſcendit; quem orationi ſingulis noctibus incumbētem, & ne ſomnus irreperet obambulantem, ferre non potuit in regno ſuo tenebrarum princeps, quippe ignem eſt exoſus, diuinum maxime & clarum. Ex improuiſo enim ſe Claro ſiſtens tenebrio, tartareáq; voce, quid eo loco & tempore quæreret percunctatus, [6] ab intrepido tantumdem audiit; ſed viſo quo ſe Clarus muniit ſigno Crucis,tantùm exhorruit, vt totus cum vicinis ædibus, ingenti fra-

gore contremuerit, & bonam fugiens, in malam abierit crucem.

Quod igitur hic Sanctus Clarus fuit, tenebras vicit: quod vicit, Clarus eſt.

NOTÆ.

1 V*Ienna Allobr.*] *Vienne en Dauphiné.*

2 *De Ferreoli.*] Martyris, cuius exuuiæ ſacræ in cœnobiorum Viennenſium maximo aſſeruantur.

3 *Monaſt Viduarum.*] S. Blandinæ dicebatur, vbi viginti quinque viuebant Sanctimoniales.

4 *Præfectum.*] Ab Sanctiſſimo Epiſcopo Cadoldo præpoſitum.

5 *S. Marcelli.*] Vbi triginta Aſcetæ.

6 *Ab intrepido.*] Claro, qui a Dæmone petiit quis eſſet.

Victoriæ ſuæ coronam adeptus eſt, anno circiter 686. 2. Ian.

Ex Anonymo apud Surium Tom. I.

S. BERNARDVS *Abbas.*

AMVLTIS Veneribus ſæpe paſſus eſt inſidias venuſtus æquè ac nobilis adoleſcens [1] Burgundus: è quarum manibus fauente cœlo [2] elapſus, non veſte tantùm vt Ioſephus, ſed relictis omnibus aufugit. Nec ſolus vt ille, ſed triginta comitantibus ſociis, è quibus [3] Fratres eius fuere quatuor, cum [4] patruo & [5] Parente; longè plurium ductor futurus, ſi plurium in cõcionibus ſuis ſacris Doctor fuiſſet; dediſſent enim manus, ſi commodaſſent [6] aures. Ciſtertij vbi nomen dedit religioni, ita omnia pro Chriſto,abiecit,vt ne [7] ſenſum quidẽ corporeum ſibi reliquum fecerit. Inde ad Vallem abſynthij miſ-

ſus Abbas, melleam fecit & Claramvallem, ſanctitate magis quàm Solis lumine. Sic enim orationi & carni domandæ incubuit, vt Monaſterium ſeptingentis ſeptuaginta impleuerit aſcetis, ſeipſum ab illo propter morbum excluſerit; quòd rogante[a] Guillelmo Catalaunenſi Epiſcopo familiariſſimo ſuo, extra ſepta cœnobij manere coactus ſit, vt domi amiſſam, foris quæreret, & inueniret ſanitatem: Hanc vbi recepit, innumeris dedit, præcipuè pane à ſe benedicto, quem ritè panaceam dixerimus, cùm omnem depulerit à manducãtibus morbum. A quercubus & fagis, quibus ſua ſæpe mella credere ſolent apes, melleam edoctus eloquentiam, fellea deliniit corda diſſidentium, & mellea ſcripſit volumina. Fœda item ſuſtulit ſchiſmata, & in officio continuit Pontifices, Reges, & Princi-

pes, quòd eorum nemo quantumuis potens, non factis modò, verumetiam verbis eius obſiſtere poſſet. Sed ad bellum ſacrum cùm ceciniſſet buccinâ, & mellis copiam auribus infudiſſet Gallorum, quò illis ſuaderet, tantumdem fellis illi refuderunt linguæ, quòd res pro voto non ſucceſſiſſet; licet oculis quos cæcis reſtituit Bernardus, videre potuerit Gallia, eã fuiſſe diuini Numinis voluntatem, vt hoc ſuſciperet bellum & periret, ne periret. Quàm materna in ſuos habuerit viſcera, docent turgentia lacte non typho vbera, quibus recens natum ordinem nutriit, & ád perfectam deduxit ætatẽ. Quod ſpectat ad [10] miracula, aſtris ipſis ſunt paria, clara & innumera. Ex quibus, præ cæteris vnum ſtupeo, non quo Virginis Matris ſacro lacte potus, filialem in eam ebibit amorem, at quo poſt mortem,

miraculis finem iuſſus imponere, ne ſanctæ fratrum officeret quieti, nullum poſtea fecit, præter hoc vnum, quòd [10] abſtinuit.

NOTÆ.

1 BVrgundus.] Ex Fontanæo Caſtro prope Diuionem.

2 *Elapſus.*] Tantæ fuit caſtitatis adoleſcens, vt puellam impudicam, in lectum in quo iacebat impudenter irruentem, in alterum latus ſe conuertens abegerit. Aliam item cùm ſentiret ad ſe nocte ad repentem, ter inclamauit, fures: & ita in fugam dedit.

3 *Fratres.*] Guido, Andreas, Bartholomæus, Gerardus.

4 *Patruo.*] Gualdrico, viro potente & nobili, Domino Caſtri, quod Tuillium dicitur, in agro Eduenſi.

5 *Parente.*] Ticelino, qui paulò poſt ſecutus eſt.

6 *Aures.*] Matres filios ſuos abſcondebant, & vxores maritos, quia timebant ne ſi audiuiſſent Bernardum, nuntium mundo remitterent.

7 *Senſum, &c.*] Sagimen crudum pro butyro comedit, oleum tanquam aquam bibit.

8 *Guillelmo.*] Quod rogaſſet Abbates in Ca-

pitulo Ciſtercienſi, vt daretur ſibi Abbas Bernardus curandus ad annum, extra Monaſterium ædificatum eſt tugurium, vbi habitanit a curis Monaſterii vacuus, ſed ruſticano cuidam & ignaro medico traditus, qui iactabat ſe curatutum illum, ab eo tam multa paſſus eſt, vt Guillelmo Abbati S. Theodorici, quærenti quomodo ibi ſe haberet, ſubridens dixerit, bellè, ego cui hactenus homines ratione præditi obediebant, iuſto Dei iudicio, irratiohabili cuidam beſtiæ datus ſum, cui obtemperare debeam.

9 *Fellis.*] Multa in eum iactata, quaſi in falſum Prophetam.

Cæcum. Petiit a Deo S. Abbas, vt oculos cæco redderet, ſi eo iubente & inſpirante ſuaſiſſet bellum ſacrum, & continuò vidit cæcus: ſed non ſatis fuit, vt exulceratos leniret animos, apologiam pro ſe ſcribere coactus fuit.

10 *Miracula.*] Tam multa fecit, vt opus eſſet maximo volumine, ſi ſcribenda eſſent omnia.

11 *Abſtinuit.*] Prohibente Abbate Ciſtercienſi, cùm ad eius ſepulchrum, eo animo ſe contuliſſet: quòd timeret, ne concurrentibus ad ſacros eius cineres miſeris, pax Monaſterii turbaretur, & religionis feruor aliquid caperet detrimenti.

Abijt ad ſuperos, die 20. Auguſt. anno 1153.

Ex Chryſoſt. Henriquez Lib. 1. Diſt. 4.

S. [1] ADERALDVS *Canonicus.*

ACCEPTO è cælis [2] igne, nihil mirum ſubitò arſiſſe Aderaldum, iam antè calebat. Sanctorum euoluens vitas piiſſimus Canonicus, abſque ſimonia emptum Spiritum ſanctum, aut de cælo à quibuſdam legerat eſſe deductũ, ieiunio, à die Chriſto aſcendenti ſacro, ad Pentecoſten producto. Quídni, inquit, eodem mihi pretio comparem? viliùs emi non poteſt vitæ ſpiritus, quàm emortuâ carne. Ergo ieiuniis inſiſtit, & die ipſo Pentecoſtes, quàm ardenter fuerat expetitus, tàm [3] adeſt igneus ſpiritus, qui cibo vacuum Aderaldum, cæleſtibus implet chariſmatibus. Eo igne tum

ardere ſanctiſſimus Sacerdos, [4] adſpirare cæleſtia, æterna meditari, ſolari ægros, in [5] pauperes ſua omnia profundere, leprâ purgare infectos, in [6] cœtum vnum, aut ſocietatem ſanctam cogere diſperſos ſodales Canonicos, & alia id genus. Diuini ſpiritus pectus eius inhabitantis effectus quis non videt? cuius eſt potiſſimum incendere, tendere ſurſum, ſolari mœſtos, purgare ſordida, munera largiri, & congregare diſperſa. Si duodenis vicibus ſanctorũ Apoſtolorum petiit limina, velox eſt, qui totus eſt igneus: ſi fallaces non audiit laudes, quas ſemper eſt exoſus, ſpiritum habebat veritatis: ſi cruces auidiùs optauit, quàm quietem alij, vnctionem tenuit. Poſt ſocietatem optimis inſtitutam legibus, Ieroſolymam profectus, [7] inuitis præter Deum vocantem omnibus, periculum incurrit vitæ à tempeſtate,

ſed neque mediis in aquis eius extinctus eſt ignis, neque Pyratæ barbari ab incœpto deterrere voluerũt, à quibus bis captus, non alio feras euaſit manus redemptionis pretio, quàm miraculis, quibus ſe & comites redemit. Ab iiſdem latronibus loqui iuſſus poſt dictas Deo preces ſerotinas, ne verbum quidem in tanto vitæ diſcrimine efferre voluit, quòd ſodalitatis ſuæ legibus id cautum eſſet. O verè Canonicum, qui tanti fecit ſanctum Canonem, vt vitam ſuam maluerit, quàm illum violari! Vt Ieroſolymam venit, & Caluariæ tetigit verticem, omnium fermè piorum qui patienti olim adfuerant Chriſto, perſonas ille vnus egit. Peccatorum enim veniam rogauit vt latro; fleuit vt Petrus; pectus percuſſit vt Centurio; amauit vt Maria: ſepulchro adhæſit, vt Nicodemus: cujus memoria ita

ſemper animo inſedit vt in Campaniam redux [9] S. Sepulchri [9] Monaſteriolum ad vrbem Tricaſſinam [10] erexerit, in quo ſepeliri voluit, & auſpicatò. Ibi enim [11] mortuus ſepulchro aſſidentem refert [12] Angelum, quem moribus retulerat viuus.

O plures vtinam haberet Eccleſia Aderaldos, multis non egeret, & multos haberet Canonicorum Canones.

NOTÆ.

1 *ADeraldus.*] Trecenſis, in Campania Gallica, Gall. *de Troye en Champagne.*

2 *Igne.*] Spiritus Sancti.

3 *Adeſt igneus.*] Lux tanta in cubiculum, vbi noctu iacebat, affulſit, vt nemo ferre poſſet. In os eius dormientis penetrauit.

4 *Adſpirare cœleſt.* &c.] Totis fermè noctibus orationi incumbens, & cibario veſcens pane cinere admixto, quo tempore eius domeſtici optimis veſcerentur cibis.

5 *Pauperes.*] Quorum catalogum habebat, vt omnes aleret.

6 *In cœtum.*] Iuuante Manaſſe Epiſcopo Trecenſi.

7 *Inuitis.*] Antiſtite, Canonicis, & eius conſanguineis.

8 *Miraculis.*] Orante enim S. Aderaldo cùm à Pyratis iam occidendi eſſent in naui, momento ab illis ſeiuncti ſunt plus quàm decem milliaribus.

9 *Monaſt.*] Ordinis Cluniacenſis.

10 *Erexerit.*] In Villa de Samberijs dicta.

11 *Mortuus.*] Anno 1400. 20. Octob. ex antiquit. M. S. S. Petri viui Senonenſis.

12 *Angeum.*] Decet Sanctum ſepulchrum vt olim etiamnum aſſidentem habere Angelum.

Ex vita Operibus Ribad. adiuncta.

S. LEODEGARIVS Canonicus.

ET ſua ſunt etiam vrbibus fata: oriuntur, ſtant, & occidunt. Hoc, inter alia loquuntur Pertæ rudera, vrbis olim in Campania Gallica haud ignobilis, quæ moriens agro Pertenſi nomen fecit. In ea, dum viruit, floruit Leodegarius, à ſancto Memmio Catalaunenſi Apoſtolo & Antiſtite præpoſitus Clero, quòd virtutibus ornatiſſimus eſſet, eáque imprimis quæ latere cupit: inter quam & paralytici fidem, ſanitatem petentis, orta coram frequentiſſimo cœtu contentione, vicit fides, erubuit humilitas, non ſe victam, ſed miraculo & laudibus honoratam. A quibus ſibi metuens, tenebras petiit, humíque

míque ſe proſtrauit, ne à vento extolleretur. Hac eâdem ſuadente, ſuis manibus altiſſimũ fodit puteum Leodegarius, vt aquas quidem fratribus propinandas haberet charitas, ſed potiſſimum quo ſe humilitas altiſſimo demitteret. Etiamnum hic ſupereſt puteus, cuius os noctes & dies laudat authorem, & aqua viua mortuum, cui cæcus poſt octingentos annos lucem reddidit, & lucem ab eo recepit. Nam Haïbertus Aquitanus à natiuitate cæcus, monitus oraculo vt lucis recipiendæ causâ Pertam veniret, venit, & latentem Sancti loculum, illi Sanctus oculum aperuit.

NOTÆ.

1 L*Eodegar.*] Gall. *S. Leger*, diſcipulus S. Memmij, alius eſt à S. Leodegario Auguſtodunenſi Antiſtite, quem curauit occidi Ebroinus Magiſter Palatij.

2 *Pertæ.*] Cuius Toparcham Attilam nomi-

ne S. Memmius ad Chriſti fidem adduxerat, & eius domum D. Virgini & Dei Genitrici Mariæ conſecrarat.

Ex Annalib. Eccl. Catalaun.

S. ODVLPHVS Sacerdos Parochus.

ODVLPHVS [1] è nobili Francorum proſapia ortus, his inter cætera claruit miraculis, quòd Propheta acceptus fuerit in Patria, & animarum intentus curis, ſuæ non fuerit oblitus. Initiatus Sacerdotio, in Eremum cogitabat aut Cœnobium, ſed obſiſtentibus morem geſſit parẽtibus, vt ſemper, & [2] Orſchottanam in patria ſua rexit Eccleſiam. Ne tamen ad fontem ſacrum, in quó lotus fuerat, ſordes contraheret, & malo eſſet po-

ſteris exemplo, ſi carnem inter & ſanguinem, ſanctitatem alere vellet, de cælo iuſſus eſt à patrio diſcedere ſolo, & Traiectenſibus adſcribi [3] cœnobitis. Paruit continuò & plurium relicta, in ſuæ vnius animæ curam ſedulus incubuit; donec graſsãtibus in Friſiam Arianis, ex [4] vmbra iterum prodiit in aciem, vbi cum S. Friderico Vltraiectenſi Epiſcopo tam generosè ſe geſſit, vt Arium ſecundò fœtere fecerit, ſed Friſonibus; contra cuius mephites; Staurienſibus Odulphus relictus eſt Chriſti [5] bonus odor, & in lupos raptores vigilantiſſimus Paſtor. Ad ſenium vſque, eo perfunctus munere, Vltraiectum [6] rediit, quo breuem aliquam laboribus aſſequeretur requiem, ſed æternam inuenit. Non priùs tamẽ quàm Staurienſibus multa prænuntiaſſet futura, ac inprimis nihil ſibi timendum à lupis, quoad

oues eſſent : ſed feras indutos, à feris & barbaris hominibus fore dilaniandos. [7] Saxum præterea ingens ſponte in aquas conceſſurum, illícque manſurum, donec ipſi diuinæ gratiæ caruiſſent aquis : emerſurum verò ex vndis, cùm illi à vitiis ſuis emerſiſſent. Non vanum fuiſſe Prophetam mutum teſtatum eſt ſaxum, diſcedens & rediens, quod omnia ab Odulpho prænuntiata grauiſſimo ſuo [8] teſtimonio confirmauit.

NOTÆ.

1 *E Nobili*, &c.] Pater eius Bodgiś.
2 *Orſchottanam.*] Gall. *d'Arſcot*, in Campania Brabantiæ.
3 *Cœnobitis.*] Canonicis Vltraiectinis S. Saluatoris, qui cœnobiticam tunc vitam agebant.
4 *Ex vmbra.*] Vocatus a S. Frederico Vltraiectino Epiſcopo, vt opem ferret contra Arianos.
5 *Bonus odor.*] Quod in vigiliis eſſet aſſiduus, in ieiuniis potens, in oratione ſedulus, in ſacra litania ſtudioſus, in eleemoſynis largus, in curandis pauperibus ſtrenuus, in hoſpitalitate fer-

uens, in rebus Eccleſiaſticis diſtribuendis prudens, inquit ſcriptor illius vitæ.

6 *Rediit.*] Ex pacto, ea enim lege admiſerat impoſitum onus, vt poſt aliquot annos ad ſuos Traiectences rediret, apud quos vitam ſe finiturum in Chriſti famulatu promiſerat.

7 *Saxum.*] Quod pro eius erat foribus.

8 *Teſtimonio.*] Viſum eſt à multis in templo, poſtquàm emerſit ex aqua.

Vixit tempore Ludouici Pij.

Ex Anonymo apud Surium ad xij. Iunij.

S. BENIGNVS *Sacerdos.*

HVNC ſi rogemus Diuum, opem in ſcribendo feret, & expetita calamo dabit acumina. [1] Benignus enim eſt, & ad manus habet acutiſſima. Dedit illi [2] Marcus Aurelius Imperator, cùm ſingulis in digitis totidem ardentes ſubulas infigi iuſſit,

quòd ficτos indigetes venerari nollet, Venerat à S. Polycarpo ad [3] Sequanos Apoſtolus Benignus Sacerdos, quòd benignus eſſet: & magiſtro diſcipulus, multo fructu aſſimilis eſſe Polycarpo ſtudebat, cùm ab Aurelio Imperatore ad [4] caſtrum Diuionenſe deprehenſus, ad trochleas damnatus eſt. Quibus longiſſimè licet extentũ eius corpus, nunquam tamen maximo par fieri potuit animo, quo immanem Tyranni ſæuitiam ſuperauit. In carcere ab Angelo ſemel atq; iterum ſanatus, non fuit quod ſua curaret vulnera, ſed potius tanto fretus auxilio, auderet maiora, vti contigit, cùm in fanum perductus, ſigno Crucis [5] idola omnia, quòd nihil eſſent, in nihilum redegit. Abierunt enim quamprimùm ex oculis omnia, imò & fermè ab ſeipſo Aurelius, cùm aliam ex hac cruce natam ſenſit in animo ſuo

crucem : quâ diriſſimè vexatus, & quòd immoto in omnibus eſſet Benignus animo, immotum voluit eſſe & corpore. Hac ratione, ingenti ſaxo illius pedes includi iuſſit, & liquefacto rigari plumbo; qui hoc pacto plantatus & rigatus, multos fecit fructus, [6] BONI CHRISTIANI. Illo tamen ita ſtante, non ſtitit ſe immanitas tyranni, qui cum canibus duodecim, quos ad rabiem fermè adegerat edēdi cupido, Benignum concluſit. Periiſſet ſi putre cadauer fuiſſet, ſed quia viuaci fuit animo, & generoſum ſub pectore leonem aluit, ne vel leuiſſimè attingere auſi ſunt canes: quorum rabiem mutuatus Aurelius, quòd eum acriter pungerent [7] ereptæ ex Benigni manibus per Angelum ſubulæ, illúmque adureret quod captiuo ſuo nihil nocuiſſet plumbum feruens, vecte ferreo conteri illius caput imperauit,

quòd fictos indigetes venerari noller, Venerat à S. Polycarpo ad [3] Sequanos Apoſtolus Benignus Sacerdos, quòd benignus eſſet: & magiſtro diſcipulus, multo fructu aſſimilis eſſe Polycarpo ſtudebat, cùm ab Aurelio Imperatore ad [4] caſtrum Diuionenſe deprehenſus, ad trochleas damnatus eſt. Quibus longiſſimè licet extentũ eius corpus, nunquam tamen maximo par fieri potuit animo, quo immanem Tyranni ſæuitiam ſuperauit. In carcere ab Angelo ſemel atq; iterum ſanatus, non fuit quod ſua curaret vulnera, ſed potius tanto fretus auxilio, auderet maiora, vti contigit, cùm in fanum perductus, ſigno Crucis [5] idola omnia, quòd nihil eſſent, in nihilum redegit. Abierunt enim quamprimùm ex oculis omnia, imò & fermè ab ſeipſo Aurelius, cùm aliam ex hac cruce natam ſenſit in animo ſuo

crucem: quâ diriſſimè vexatus, & quòd immoto in omnibus eſſet Benignus animo, immotum voluit eſſe & corpore. Hac ratione, ingenti ſaxo illius pedes includi iuſſit, & liquefacto rigari plumbo; qui hoc pacto plantatus & rigatus, multos fecit fructus, [6] Boni Christiani. Illo tamen ita ſtante, non ſtitit ſe immanitas tyranni, qui cum canibus duodecim, quos ad rabiem fermè adegerat edēdi cupido, Benignum concluſit. Periiſſet ſi putre cadauer fuiſſet, ſed quia viuaci fuit animo, & generoſum ſub pectore leonem aluit, ne vel leuiſſimè attingere auſi ſunt canes: quorum rabiem mutuatus Aurelius, quòd eum acriter pungerent [7] ereptæ ex Benigni manibus per Angelum ſubulæ, illúmque adureret quod captiuo ſuo nihil nocuiſſet plumbum feruens, vecte ferreo conteri illius caput imperauit,

& lanceâ latus perfodi : quibus bis occiſus, ſemel occidit. Si tamen occidiſſe dici poſſit is, qui ſub ſpecie ſine felle columbæ in cælum euolans, Benignum ſe hoc Emblemate iterum aſſeruit.

Quod autem ea columba ſuauiſſimos diffudit odores, eo fine ſparſit, quo vnguentis delibutæ ſui generis illices columbæ, vt ſequeremur.

NOTÆ.

1 *Benignus*] Diſcipulus S. Polycarpi Smirnenſis Epiſcopi Sancti Ioan. Euangeliſtæ alumni.

2 *M. Aurel.*] Paſſus enim eſt hic Sanctus ſub M. Aurelio & Lucio vero, ad annum Chriſti 169.

3 *Sequanos.*] Qui poſtea Burgundi dicti ſunt.

4 *Caſtrum Diuion.*] Nunc vrbs nobiliſſima, Diuio nomine, Gall. *Diion.* in Burgundiæ Ducatu, ſupremi Senatus Burgundici ſedes, & illius Prouinciæ caput.

5 *Idola.*] Lignea & lapidea, imò & vaſa Sacrificiorum, inſtar fumi euanuerunt; ita vt ne

cinis quidem apparuerit aut fruſtulum.

6 *Boni Chriſtiani*] Per virtutum actus, fidei, ſpei, charitatis, patientiæ, *&c.* Eſt autem quoddam pyri genus, quod à Diuo Martino Turonen. Epiſcopo, Boni Chriſtiani dicitur.

7 *Erepta ſubulæ.*] Cum 2. ſanum fecit Benignum Angelus, ſubulas ex eius manibus eripuit.

Colitur die 1. Nouemb.

Ex Surio & Graſio.

S. LVCIANVS *Sacerdos.*

NVM ſolis nomine decorandus, qui ortus in [1] Oriente, occidit in [2] Occidente, & à luce nomen habet, Lucianus? quique à [3] Summo Pontifice in Galliam cum [4] Dionyſio miſſus, [5] Bellouaci Apoſtolum egit & Solem, cùm tenebras ab animis depulit, & igne cœleſti corda percuſſit. Cibus il-

li perpetuus aut herbæ aut nullus, potus aqua. [6] Captus à Iuliano Præſide & à milite capite obtruncatus, non occidit. Caput enim manibus ſuis ad medium detulit milliare, vt qui moribus & doctrina par [7] Dionyſio fuerat, non diſcreparet miraculo. [8] Lux item corpori affuſa poſt eius occaſum, quid aliud quàm gratum præbuit ſpectatoribus crepuſculum? quo præterquam quod quadraginta hominum millia ad Chriſti fidem adduxerat viuus, quingentos illuminauit [9] mortuos: In quo iterum ſe probauit eſſe ſolem, cùm Occidens tot ſtellas accendit, quibus Gallicum illuſtrauit cælum.

NOTÆ.

1 ORiente.] Venit Antiochiâ Romam cum diuo Petro, quo mortuo ſequutus eſt Clementem.

2 *In Occidente.*] Bellouaci in Picardia.

3 *Summo Pont.*] Diuo Clemente.

4 *Dyoniſio.*] Areopagita, Gallorum Apoſtolo.

5 *Bellouaci.*] Quo miſſus fuerat ab eodem Dionyſio, quod ibi eſſent caſtra Romana.

6 *Captus.*] Per tres Satellites Iachinum, Larium & Antium, quibus obuiam proceſſerat, cum duobus diſcipulis ſuis Maximiano & Iuliano.

7 *Dionyſio.*] Qui iam martyrio coronatus fuerat Pariſiis.

8 *Lux.*] Spectantibus exercitu Romano & Ciuibus Bellouacenſibus, multa circumdatus eſt luce cœleſti, & vox de cœlo audita, qua in cœlum inuitabatur.

9 *Mortuus.*] Statim enim ab illius morte pluſquam quingenti in Chriſtum crediderunt, & Baptiſmum petierunt.

Paſſus eſt die octauo Ian. imperante Traiano.

Ex Martyrol. & Vita apud P. Viel. Doct. Theologum.

S. GOARIVS Sacerdos.

TERRENAM reliquit patriam Aquitanus Sacerdos, vt aliquando haberet cæleſtem, & [1] in agro Treuirenſi virtutum omnium ſeuit opera, ſanctitatẽ meſſuit, & miracula. Apud Antiſtitem tamen re potiùs quàm nomine Ruſticum, flagitioſæ [2] inſimulatus vitæ, Treuirim ire coactus eſt, vbi (poſt quam in viâ ipſis ſuis accuſatoribus, obiecta diluiſſet crimina, [3] trium ceruarum lacte, quas eorum gratiâ, diuino ſtiterat imperio) calumniæ obturauit ora, cùm puello aperuit. [4] Expoſititij enim & recens nati pueri parentes retegere ab Epiſcopo iuſſus Goarius, quo ſuam illi probaret ſan-

ćtitatem, in puellum detorſit imperium; qui Sanćto viro morem gerẽs, digito in Epiſcopum intento, clarâ & clatâ voce, in confertiſſima hominum coronâ, Ruſticum Antiſtitem parentem eſſe ſuum pronuntiauit ex Flauiâ matre. Ad hanc vocem vtérque erubuit, ille de patrato à ſe miraculo, hic de retećto facinore. Pudor enim vt pudorem tegeret, aut ſanguis vt ſanguinem ſuum videret, in vultum conſcendit, dum ægrè ferunt alij in lucem veniſſe opus tenebrarum, indignantúrque tam malè poſitas fuiſſe Ruſtici paſtoris vigilias. Delatâ ad [s] Sigebertum Regem Metenſem vtriuſque fačti famâ, puelli & miraculi, ab accito nihil audiuit Goario, præter iam accepta, quòd vir Sanćtus æquè timeret à propria laude, quàm ab alieno vituperio fœdari. A Rege autem & populo in Epiſcopum expetitus, lo-

co Ruſtici à ſacro munere amouendi, nec vinci, nec vincere potuit, ſed pactis vtrinque viginti dierum induciis, piam litem cælum diremit. Incidit enim Goarius in ardentis febris flammas ad decennium, quibus dum ab Ruſtico pro quo ſic vri voluit,[6] flammas remouit venereas & æternas, immenſæ ſibi gloriæ pro declinatis infulis conflauit coronas.

NOTÆ.

1 A*gro Treuir.*] Apud Vocharam Fluuium.

2 *Inſimulatus*, &c.] Ab Albivvino & Adalvvino Epiſcopi domeſticis.

3 *Trium ceruarum.*] Cum defeſſi de via, ad locum qui dicitur Pauli campus, ijdem accuſatores, qui ad Goarium miſſi fuerant vt eum accerſerent, famæ & ſiti meritò perirent, quòd cum viro ſancto cibum ſumere voluiſſent, tres ceruas prætereuntes ſtitit, & earum lac expreſſit, in quo crimen ſuum & Goarii innocentiam viderunt.

4 *Expoſititij*, &c.] Moris erat apud Treuirenſes, vt fœmina aut proſtibulum ſi infantem pepe-

riſſet, cuius nollet agnoſci parentem, aut certè quem præ inopia rei familiaris alere non poſſet, in marmorea concha, quæ ad hoc conſtituta erat, exponeret. Eodem autem die & ferè eâdem hora, qua acceſſit Goarius Treuiros, Leobigius Clericus puellum trium dierum in ea concha iuuentum attulit, vt nutriendum cum aliis traderet. Hunc Epiſcopus in medio ſtatui iuſſit, vt in parentum nominibus retegendis, de Goarij ſanctitate periculum faceret.

5 *Sigebertum.*] Dagoberti primi filium, & ſanctum Auſtraſiæ Regem.

6 *Flammas Remouit*, &c.] Sequutus eſt enim Ruſticus & pœnitentiam egit.

Obijt 6. Iulii regnante S. Sigeberto.

Ex Vandelberto Diacono & Monacho Prumienſi.

CAPVT II.

ORDINES SACRI.

S. [1] *GVILELMVS Auguſtinianus Canonicus.*

[2] EVANGELIVM de muto Dæmone cum legeret publica in Liturgia Diaconus, Dæmonia eiecit muta, collegas ſuos, in Diuæ Genouefæ Pariſienſis irregulares[3] Canonicos, qui eum propter virtutem exoſi, diffugere [4] præter vnum omnes ne accinerẽt. Sed iis paulò poſt ab [5] Eugenio III. eiectis, vt contraria cõtrariis opponeret prudens Pontifex, atratis

ꝛratis Dæmonibus albatos ſubſtituit Angelos, aut veſte & moribus candidos Regulares Canonicos: quibus ſtatim adlectus Guilelmus ex virtutum regulis viuere iam dudum ſolitus, mutandum habuit nihil præter veſtem. Hanc autem vbi habuit, auſpicato animo & corpore viuens, ad Daniæ niues, cum aliquot ſociis, ab Epiſcopo Roſchildenſi [6] rogatus acceſſit, vbi Abbas electus, quadraginta annis Athlante fortior, cœlum, terras, & inferos ſuſtinuit. Nam propter cœli intemperiem, aut Dęmonum & hominum barbariem, nihil eius [7] conſtantia, nihil ardor remiſit mentis, inter Daniæ frigora à ſacris ignibus tam calidus, quàm contra [8] Dæmonum faces frigidus, quibus eius corpus ſemel, [9] animum ſæpiùs incendere tentarunt. Ab hominum calumniis & moleſtiis impetitus, quod ſæpe con-

tigit, zelo enim quo ardebat religionis & regularum, frigidos incendit multos, ſed ad iras & odia Abſaloni ſuo, Epiſcopo & amico dicere potuit Dauid alter: *Cum mihi moleſti eſſent induebam me cilicio.* Et, *Gratis detrahebant mihi, ego autem orabam.* Solemne enim vtrumque illi fuit in aduerſis, imo ferè ſemper, & orare & cilicium induere. Quo die abiit è viuis, qui fuit idẽ quo Chriſtus ad viuos rediit, cilicium recens compactum morientem induit carnem, vt cultiùs credo coruptiúſque, more Sanctorum, diem celebraret feſtum, aut armatior pugnaret in mortem. Monitus oraculo poſt ſeptem ſibi eſſe moriendum, mortem præuenit, omnibus rebus mortuus eſt, & ſibi. Sed reuixit virtuti, cùm diebus ſeptem elapſis, mortem non vidit. Nam ſeptem, totidem hebdomadas iterum interpretatus, & poſt hebdo-

madas, menſes : poſt menſes, annos ; nouam vixit vitam, priore ſanctiſſimâ ſanctiorem. Poſt ſeptem verò annos [10] mors adfuit, ipſo die Chriſti reſurgentis mane, vt palam dicere videretur, oriente ſole, cadere ſtellam debuiſſe, aut ſurgentem Dominum, decumbentem vocaſſe ſeruum.

NOTÆ.

1 *GVilelmus.*] Pariſienſis, nepos Hugonis Abbatis Sti. Germani Pratenſis.

2 *Euangelium.*] Quod legi ſolet in templo ſecundum ritum Romanum, tertiâ Dominicâ Qūadrageſimæ.

3 *Canonicos.*] Seculares, vt vocant.

4 *Præter vnum.*] Magiſtrum Albericum, virum probum.

5 *Eugenio III.*] Accedente Pontifice ad D. Genouefæ, vt ſacrum faceret, orta eſt tanta contentio inter Canonicorum miniſtros & Pontificios, vt non ſolum Pontificis miniſtri, ſed etiam è primis regni proceribus aliqui, tumultum compeſcere cupientes, à Canonicorum famulis ictus aliquos exceperint : quapropter à Pontifice &

Rege eiecti ſunt, & Regulares in eorum locum ſubrogati.

6 *Rogatus.*] Per Saxonem Grammaticum, inſignem Danorum Hiſtoriographum, ab Epiſcopo Abſalone miſſum.

7 *Conſtantia,* &c.] Eius ſocii, petitâ facultate ab Epiſcopo Roſchildenſi, in Galliam redierunt, penuriam & frigoris acerbitatem ferre non valentes.

8 *Dæmonum faces.*] Dormiente Guilelmo Dæmon lucernam toti Cœnobio communem euertit, iuxta illius lectum, vbi multa erat palea, quâ exuſtâ, cum aſſeribus ſuppoſitis, intactus tamen manſit Abbatis lectus.

9 *Animum,* &c.] In pago Torſtanto, conatus eſt idem Dæmon Guilelmum item dormientem inflammare libidine, ſed mente vigil, verbis & calce Dæmonem abegit, qui formam capularis ſenis induerat.

10 *Mors,* &c.] Anno 1202. ætatis ſuæ 98. à ſuſcepto Abbatis officio 40. die 6. April.

Ex vita à quodam eius Diſcipulo conſcripta.

SANCTA OTHILIA
Auguſtiniana Canonica.

SI ex aluo materna oculos attuliſſet naſcens [1] Othilia, non tot & tanta miracula vidiſſet, quot vidit cæca. Hæc [2] ab oculis remota parentum, quòd eam *ſine Oculis* videre non poſſent, diu latuit [3] in tenebris: quoad ab Sanctis Erardo & Hidulpho, ſacro tincta [4] fonte, à gratia illi tum primùm infuſa, accepit quod naſcenti negarat natura, nouítque ſibi ab aqua, oculorum lumen accendi. Acceptis oculis, à quo haberet, vidit: cui vt gratias referret, coniecit in cœlum. Eò enim quòd cogitaret, in altiſſimum conſcendit Alſatiæ [5] montem, vbi Parthenone con-

ſtructo, triginta ſupra centum Virgines (tantam Ducem non minor decebat cohors) in ſacram familiã conſcripſit. In eum montem, ne cum columbis aduolaret & alatus Cupido, cibum ſibi & ſociis indixit aſperum, qui non ſaperet molli & delicatulo puello: Plumíſq; lecto detractis, quibus gaudet ſomnus, vrſinam ſingulis noctibus induit pellem, ſaxúmq; ceruici ſuppoſuit, vt terrori vtriſque eſſet, & longè aufugerent. (miræ ſunt hæ aues, ſi plumas dederis, non volãt: ſi non dederis, ilicet auolant.) Quæ apertos habuit noctu oculos, quibus Deum aſpexit & cęlum, interdiu aperuit manus, quibus largiendo, pauperum ſubleuaret inopiam. Illis enim ſuggeſſit quidquid ſibi & ſacræ familiæ ſubtrahere potuit; quorum gratiâ (ne aſcendendo nimium laborarent) eius exſcendit charitas, extructóque

ad montis pedem altero ædificio, baculo montem percuſſit, & ignea licet, aquas dedit. Dedit & parentibus vita functis, in montis vertice, ſalutares. Quod enim pro oculis Othiliæ laboraſſent parentes amantiſſimi, pro
6 parentibus ſuis ſic Othiliæ laborarunt oculi, vt illi æternam viderint lucem.

NOTÆ.

1 O*Thilia.*] Alias Odilia *S. Odile*, Patrem habuit Athicum, ſeu Ethico, vel etiam Adalricum, filium Leudeſii, vel Leutherici filii Erchinoaldi, maioris domus ſub Clodouæo II. Matrem vero Berſvvindam, vel Berenſuidam, alias Perſindam, filiam ſororis Sti. Leodegarii, & ſororem Reginæ Galliæ, vel ſecundum alios, ſororem S. Bigrandæ, matris S. Leodegarii Auguſtodunenſis Epiſcopi. *Ex vita M. S.* Is Ethico vel Athico, à Clodouæo II. Ducatum Germaniæ vel Alſatiæ, *Vt vocat Ruyr*, adeptus eſt propter conſanguinitatem, habuitque ſedem in villa Regia Ehenheim, & in caſtro quod dicitur Honemburgum in Alſatia. Genuit autem Othiliam à na-

tiuitate cœcam, quæ a ſanctis Erardo Ratiſponenſi, & Hidulpho Treuirenſi Epiſcopis, & fratribus baptizata, in ſacro fonte viſum recepit *Ex duobus fragmentis hiſtoricis apud Andr. Quercetanum tom. 1. hiſtor. Gall. & Ioann. Ruyr. in ſacris antiquit voſag lib. 4. 2. part.*

2 *Ab oculis*, &c.] Patris præcipuè, qui eam ferre non poterat, imo dicitur iuſſiſſe occidi. *Ex vita ſanctæ Othil. apud Graſium & Ruyr lib. 4. 2. partis c. 1.*

3 *In tenebris.*] Naturalibus, oculorum, & moralibus, ſeu ciuilibus.

4 *Fonte*, &c.] Apud Stiuagium, Monaſterium in voſago ſaltu: Gall. *Etiual*, proximum Deodaſcopoli, *S. Die*, & medio-monaſterio *Moyenmoutier.* Tertia autem merſione, oculos recepit & vidit, coram parentibus & multo Nobilium comitatu, peruigilio Pentecoſtes. *Ruyr in Stiuagio.*

5 *Montem.*] Etiam hodie mons S. Othiliæ dicitur.

6 *Pro parentibus.*] Tam multas fudit lacrymas & preces pro animabus parentum ſuorum defunctorum Othilia, vt eas à purgantibus liberarit flammis, in loco vbi fleuit, erectum eſt ſacellum, quod etiamnum lacrymæ S. Othiliæ vocatur. *Ruyr l. 4. 2. part. c. 1.*

Vixit circa annum 700. mortua eſt 13. Dec. Quod fuerit Ordinis S. Auguſt. *V. Ruyr l. 4. 2. part. c. 8.*

S. ANTONINVS
Auguſtinianus Eremita.

QVAM à mortali [1] Rege vitam acceperat Antoninus, auro & gemmis olim coronandus, immortali dedit, illuſtri martyrio coronatus. Cuius gratiâ, non ſatis illi fuit coronam poſuiſſe regiam & ſceptrum, [2] poſuit & cum capite dexteram, quibus vtrumque fuerat geſtandum. Reguli Apamienſis [3] Fridelaſij nomine filius erat, paterni futurus heres regni, ſi eſſe voluiſſet [4] erroris. Sed maiori è cœlis luce colluſtratus, ita illos aſpexit, vt è capite ſuo temporaneam excuſſerit coronam, quam volens amiſit, cùm aulam mutauit Eremo, exilio patriam, & ſubditorū ſuorum affectus, [5] odio plus quàm vati-

niano. Eremiticum enim D. Auguſtini ordinem, poſt Parentis fata, ingreſſus, omnes ſubditorum ſuorum ordines ita in ſe concitauit, vt Salernum confugere fuerit coactus: vbi Aſceticis excultus diſciplinis, [6] Chriſti agrum colere inſtituit, eo animi ardore, vt Moyſem imitatus zelo, imitatus fuerit & miraculo. Virga enim terram percutiens, aquas elicuit ſalubres, quibus ſitim, & morbos è corporibus expulit. Cuius miraculi magnarúmque Antonini virtutum famâ cõmotus Theodoricus, Regulus Toloſanus, eiúſque patruus, illum ad ſe acceſit, in S. Saturnini Toloſatum Apoſtoli ſede collocandum. At quòd attolli noluit Antoninus, Theodoricus depreſſit, & pro luce, in qua collocare voluerat, carceris abdidit tenebris: quòd paſtor eſſe noluit patruo nepos, factus eſt patruus nepoti lupus.

Sed è tenebris eductum, qui Theodorico ſucceſſit Galeatius in luce poſuit & igne, feruentis ſcilicet plumbi & ſulphuris, ex quo feruentiſſimam biduo habuit orationem, quâ ita corda frequentiſſimæ plebis peruſſit, vt aquas expetierit baptiſmatis. Hinc ad Garumnæ profluentem molâ collo appensâ proiectus, quòd vehementiùs in cœlum eius tenderet animus, quàm molæ grauitas, orbis centrum appeteret, triduo sũmis inhæſit aquis, lapideáque vectus naui, à fidei naufragio eripuit multos, & ad ſalutis portum peruenit. Nam Apamiam redux, & à Metopij comprehenſus ſatellitibus, ad Aregiæ fluminis ripam capite diminutus eſt & dextrâ, ſed quo caruit capite coronam admiſit, &, quam non habuit, manu, palmam recepit.

NOTÆ.

1 R*Ege.*] Fridelaſio. *Vide infra.*

2 *Poſuit*, &c.] Quia Galeatius Tyrannus illi caput & dextram abſcindi iuſſit.

3 *Fridelaſii.*] Seu Freſerici, vel Frederici Apamienſis Reguli, qui fuit Theodorici Toloſatum Regis frater, item & Thoriſmundi, cui mortuo Parente Theudo, vel Theodorico ſuaſit Ætius poſt fuſum Attilam, vt in regnum ſuum ſe reciperet ne fratres præoccuparent, quod poſtea fecerunt occiſo Thoriſmundo.

4 *Erroris.*] Idololatriæ dicuntur enim in infidelitate defuncti, vel potius Arianiſmi, quia Gothi, è quibus erat Fredericus, Ariani erant.

5 *Odio*, &c.] Quod Catholicam fidem amplexus eſſet. & ſacrum ordinem.

6 *Chriſti agrum.*] Concionibus ardentiſſimis, quibus maximam hominum multitudinem ad Chriſtum adduxit. Conciones autem habuiſſe dicitur Nouioduni & in valle nobili, vbi principem virum feſtum nomine, Chriſto genuit.

7 *Carceris Tenebris.*] In quibus Almachium, Senatoris filium, luſtralibus tinxit aquis, qui poſtea Theodorico, ob crudelitatem, proximum prædixit interitum.

Vixit circa annum 520. deſiit autem viuere die 2. Septemb. qui ſacer illi eſt in Ordine Eremitico D. Aug.

Ex Off. propr. SS. ordinis Eremitici D. Auguſtini.

SANCTVS HVGO
Benedictinus Cluniacenſis.

MAGNVM fecit [1] ordini ſuo nomen, cum ſuum dedit, [2] Sinemurenſis in Burgundia [3] Toparchæ filius. Sed longè maius, cùm religioſis ornatus virtutibus, poſtridie expleti ſui tyrocinij, ne poſteriorem non viderent, nec ſequerentur cœteri, Prior eſt cõſtitutus; ac tandem è viuis Odilone ſublato, Cluniacenſis Abbas, & totius ordinis præpoſitus Generalis. His auctus honoribus, bellè ordinem auxit ter mille & quingẽtis monaſteriis, atq; innumeris miraculis, quorum artifices, aut architecti, fuere illius virtutes, præſertim aſperitas victus, fuga otij, [4] verborum

& inceſſus grauitas, charitas ad omnes, & in rebus agendis prudentia ſingularis. Illarum nomine, tanta valuit poteſtate, vt apud Deum & homines nihil non potuerit. [5] Pontifices, Deo; [6] Imperatores, Pontificibus; [7] Reges & Principes inter ſe conciliauit. (Ad tantam non conſcendiſſet poteſtatem, ſi leuis fuiſſet; morum grauitas attollit, deprimit Leuitas.) Quàm grauis tamē fuit moribus, tam leuis fuit corpore, qui à ceſpitante inter Alpes mula excuſſus in prǫceps, non cecidit, aut eluſis quæ ibi habitant mortibus, continuò eſt erectus. Non ita [8] Durandus eius olim Diſcipulus, qui quòd leuior lingua fuiſſet, in purgantes cecidit flammas, & ab Hugone eſt ereptus. Nam indicto quatuor Aſcetis ſeptem dierum [9] ſilentio, contrarium contrario curauit medicus optimus, & congruum vulneri appoſuit ma-

lagma. Moriens Hugo, ad Chriſti partes tranſiit, qui ad Hugonis olim [10] Romæ tranſierat, & arcana audiit verba, mercedémque ſuis reddendam virtutibus, à quo olim [11] in capitulo Cluniacenſi arcana ſubditorum ſuorum audierat errata, pœnáſque erratis iniungendas. Eò cum Hugone ſi tendere volumus, manuum eius ſequamur veſtigia. Manibus in Cęlum itur, non pedibus.

NOTÆ.

1 *Ordini.*] Benedictino.

2 *Sinemuren.*] Sinemurum vrbs in ducatu Burgundiæ, Gall. *Semure.*

3 *Toparchæ.*] Cui nomen erat Dalmatius.

4 *Verborum.*] Scurrilia ferre non poterat in monachis ſuis.

5 *Pontifices.*] Stephanum Papam moribundum iuuit, & dæmonem Pontifici moleſtiſſimum ſuâ præſentiâ expulit.

6 *Imperatores.*] Henricum tertium aliàs quartum (quem de fonte ſacro ſuſceperat Abbas, rogante illius parente Henrico III. Imp. & eius

matre *S.*Agnete auguſta) cum Pontif. Greg. VII. conciliauit, poſtquam in Caſtri atrio, vbi erat Pontifex, tribus diebus permanſiſſet ſine ſeruis, ſine apparatu regio, nudus pedes, & ad veſperam ieiunus.

7 *Reges*] Alphonſum & Sanctium Hiſpanos.

8 *Durand.*] Poſtea Archiepiſcopus Toloſanus, qui poſt mortem Siguino ſacerdoti aparuit tumidus labris, & petiit auxilium ab S. Hugone.

9 *Silentio.*] 7. Dierum, quo violato, ab vno Aſceta, 7. aliorum dierum ſilentium indixit, eoque liberatus eſt Durandus.

10 *Roma*] Rogantibus vtriſque, Hildebrando & Hugone, in templo, Hildebrandi ſubitò concidit vultus, cuius cauſſam rogatus poſtea ab Hugone, reſpondit, quia fruebar maxima voluptate ex preſentia Domini mei Iesv Christi, ſed propter feruorẽ veſtrum à me ad vos tranſiit.

11 *In Capitulo*, &c.] Hoc vidit Hildebrandus Legatus Apoſtolicus, & poſtea pontifex Max. Greg. VII. dictus.

Ab hominibus ad Cælites tranſiit 29 April. anni. 1109.

Ex Hugone monacho Synchrono, & And. Du Val. Doct. Sorbon.

S. ALDE

S. ALDEGONDIS Benedict.

QVI ſanctam ſpectat Aldegondem, hinc [1] Regiæ nobilitatis videt lilia, hinc virginitatis; hinc niuei corporis, hinc animi puritatem; candorem vbique, niſi cùm ad nuptiarum vocem erubuit. Adeo enim pudoris amans fuit virgo, vt ſublatâ è viuis matre, quæ filiam nobiliſſimo viro deſponderat inuitam, in deſertum ſeſe abdiderit locum, & profanum fugiens amatorem, [2] Sanctum quęſierit Amandum, de cuius manu ſuſcepto virginitatis velo nobiliſſimum texit pudorem, [3] Malbodianúmque ædificauit Parthenona, in quem ampliſſimis à ſe ditatū redditibus, cum ali-

quot puellis nobilibus ſeceſſit; vbi adeo placuit ſponſo, vt quo die reliquas opes in pauperes diſtribuit Aldegondis, aquam, ſponſæ gratiâ vino mutarit ſponſus. Scyphum enim aquę hauriendum cùm ſuſcepiſſet illa, vinum reperit, vt à ſponſo in cellam vinariam, ſe iam introductam agnoſceret; nec ſolam, vt tam nobilem decebat virginem, ſed cum duabus aſſeclis Maldebertâ & Aldetrude, eius ex ſorore neptibus, quæ Magiſtræ ſanctitatẽ probarunt alumnæ. Accepto [4] mortis nuncio nihil territa, Deum deprecata eſt, vt ante mortem dolori nubere liceret, ex quo multam patientiæ prolem pareret virgo. His votis annuente Cœlo, hoſtem accepit, quem ad mortem vſque ſinu fouit, videlicet [5] cancrum; qui ferinis arrodens carnem morſibus, lupũ ſe præbuit, quoad ouis illa fuit. A cancro, in [6] leonem

′ incidit, & illum tartareum,[7] à virginitatis propoſito diſceſſum ſuadere conantem; ſed Solis ad inſtar, hęc monſtra præteriens, in virgine ſemper mãſit, donec viſo D. Petro, à Ianitore, non longe ſe à [8] cælo abeſſe ritè coniecit.

NOTÆ.

1 REgiæ] Quia patrem habuit Vambertum Comitem, & matrem Bertiliam ex ſanguine Regio.

2 *S. Amand.*] Qui tum erat in Cœnobio Altimontano, cum S. Auberto Cameracenſi Epiſcopo, ad quos nudis perrexit pedibus.

3 *Malbodianum.*] Malbodium tunc temporis ſylua erat, nunc oppidum Hannoniæ circa Monaſterium ædificatum, Gall. *Maubenge.*

4 *Mortis nuncio.*] A S. Giſleno, qui viſionem quam habuerat Aldegondis de S. Amando cælos petente, interpretatus eſt, proximam eſſe eius mortem.

5 *Cancrum.*] In dextera mammilla.

6 *Leonem.*] Dæmonem, qui tanquam leo rugiens circuit quem deuoret.

7 *À Virginit, &c.*] Tentationes enim ſuggeſſit moleſtiſſimas, ſed fruſtra.

8 *Cælo, &c.*] Ingreſſa eſt, ann. circiter 643. 30. Ian.

Ex Hugbaldo Elnonenſi.

S. AVSTREBERTA Benedict.

PROPHETAS quis non miretur aquas, & rei futuræ non ſecus ac præſentis ſpeculum? Vidit ſe in littore [1] Auſtreberta nobilis apud [2] Morinos puella, vix decennio maior, ſacro decoratam, quod nondum habebat flammeo. Riſit illa, flammeúmq; ita illi arriſit, vt clam parentibus, minore fratre comite, ad ſanctum profecta fuerit Audomarum, Morinorum Epiſcopum, vt aquas à mendacio abſolueret, aut earum impleret prophetiam. Sed, vt aſſolent, [3] aquæ obſtitiſſent flammis, & quæ ex nimiis imbribus exundarant, Auſtrebertam retardaſſent, niſi flammeum flammas ſubieciſſet, quibus ardēs Au-

ſtreberta & ſigno Crucis armata, ſibi pluribúſq; ſequentibus viam per media fecit pericula, & ſanctum Epiſcopum conuenit; qui capiti impoſito, quod illa petebat, velo, factum ſuum tegere non potuit, in illud, vtérque Auſtrebertæ Parens exarſit, ſed Sancti viri rationibus victi, manus dedere, imo & pedes, cùm filiam ſuam in [4] cœnobium duxere, vbi tantos fecit in virtutibus progreſſus, vt ardentem ingreſſa furnum, periclitanti ſuccurrerit, quem coquebat pani, & illæſa exierit. (Non eſt ſanctitas ſtuppea, quam innocens reueretur flamma.) Ab hoc igne clara, ſed virtutibus clarior Auſtreberta [5] Pauliacenſi pręfecta eſt Parthenoni, cui non minus profuit miraculis, quàm exemplis; inter cætera enim, [6] durioris ingenij virginem, quam forte mollire ſaxa decidentis muri voluerãt, ſed fermè ene-

cuerant, oleo melius Auſtreberta deliniit, & ita ſanitati reddidit, vt quæ antea recentis ad inſtar currus obſtrepere fuerat ſolita, in poſterum tacuerit inuncta.

NOTÆ.

1 A *Vſtreberta*] Filia Badefridi Comitis & Framchildis Teruanæ vrbis toparcharum. *De Teroüenne.*

2 *Apud Morinos.*] Teruanenſes, vel etiam Taruanenſes.

3 *Aquæ.*] Cautiæ fluuii.

4 *Cænobium.*] Porcum dictum, in quo Burgofledis erat Abbatiſſa.

5 *Pauliacens.*] Quatuor milliarib. Gallicis diſtanti ab vrbe Rothomag. Gall. *Pauilly.* A nobili viro Amalberto ad hoc Monaſteriũ, quod ſumptibus ſuis ædificarat, inuitata. vt illi præeſſet.

6 *Durioris ingenij.*] Præſertim in ſuperioris præcepta.

Vixit tempore Dagoberti I.

Ex eius vita ab authore coætaneo ſcripta V. Surium ad diem vij. Febr.

SANCTVS BRVNO Carthuſianorum Fundator.

MIRA eſt hominis ſpiritualis militia, miri hoſtes: vt geneross̀e pugnemus fugimus non ignaui, & vt vincamus, frequentem non ſcribimus exercitum,ſed ſoli eſſe ſtudemus. Hoc militiæ genus ritè calluit imprimis Sanctus Bruno, qui ex Canonico Remẽſi & Pariſienſi Theologo,quod magno quondam Arſenio præſcripſerat Deus, ſibi dictum putauit, FVGIT ET TACVIT, fugit inquam ſi non vmbram demortui amici, at certè veros & timẽdos hoſtes,carnem,mundum, & dæmonem. Tamen quid in hoc vſq; adeo miremur? vt dęmonis ignes euaderet, [1] Carthuſiæ quæſiit niues: inacceſſas adiit rupes Gratianopolita-

nas, ne fugientem aſſequeretur mundus; & ne à carne vinceretur,[2] carnem in poſterum nunquam in cibum admiſit, quid rationi magis conſonum? Quod autem [3] ſiluit, & ſuos ſilere iuſſit: non tam verbis oſtium occluſit, quàm vitiis & ad pias ac cæleſtes mẽti aperuit commentationes. Verbo dicam, inuenit quod quæſiit, in niue cãdorem; quem ſuæ diſciplinæ alumni adhuc mentibus retinent & veſtibus. Sed vbi potius inueniſſet? Si quid ergo in Brunone mirari cupis, aſpice & ſuſpice in perpetua, ſed voluntaria eclipſi, [4] ſydus fulgentiſſimũ, (ſic enim Hugoni Gratianopolitano cum ſodalibus apparuit) in ſilentio eloquentiſſimum virum; inter feras tam mitem, vt eo nomine à ſociis deſeri non potuerit, quò vocantem conueniret Pontificem [5] Vrbanum. Vt capiti coniunctiſſima membra, ſequi

maluerunt, quàm ab eo diuelli, & matrem deſerere Carthuſiam, quàm Brunonem patrem, quoad ſæculi procellis & tempeſtatibus iterum iactatos, in ſolitudinis & quietis portum ſe recipere, iuſſit Bruno, mox ſequuturus. Sed Pontifice in Gallias abeunte, Calabriam petiit, ne vel tantulùm aulam, aut quem fugerat mundum, ſequi videretur; maluítque promiſſo nõ ſtare, quàm propoſito; & patria carere quàm Eremo. In ſyluis autem Calabris [6] Rogerij Comitis venatione prę da factus, factus eſt & mortis paucos poſt annos, ad cuius ſepulchrum repente fons ſcaturiit, vt illius, credo, aquis lugeret terra, ſibi ereptum tam ſanctum virum.

NOTÆ.

1 CArthuſia.] Ad vrbem Gratianopolitanam, *Grenoble*. vbi fere ſemper nix alta.

2 *Carnem.*] PP. Carthuſiani carnem non guſtant quacumque detineantur ægritudine.

3 *Siluit.*] Perpetuam ferè obſeruant ſilentium, ideo diſcreti a ſe inuicem habitant.

4 *Sydus.*] Septem ſtellæ aut planętæ apparuerunt S. Hugoni paulo antequam S. Bruno & 6. eius ſocii Gratianopolim accederent.

5 *Vrbanum II.*] Qui fuerat Brunone præceptore vſus, Pariſijs.

6 *Rogerij.*] Siciliæ & Calabriæ Comitis, qui multa Brunoni conceſſit, propter viri Sanctitatem.

Mortuus eſt anno 1084 die 6. Octob.

Ex Franciſco Puteano, & Surio Carthuſianis.

B. JOANNES [1] SORETIVS *Carmelita.*

HIC Elias fuit & Propheta: Sacri ordinis Carmelitani parens alter & inſtaurator, qui maximis virtutibus ac præcipuè animi demiſſione inſignis, [2] futura

verè prædixit, rebelles puniit ſeuerè, [3] milites non exhorruit aut incendia, & pro Diuino numine, multo exarſit zelo. [4] In his omnibus Eliæ par, at in eo maior, quod non illum Deus per incendia eripuit, ſed ille Deum: Cum [5] in vrbe Leodienſi per medios militum omnia diripientium cuneos ſacra ſpoliatum pixide, & in terram ſacrilegè [6] proiectum quæſiit, inuentúmque in cœnobij ſui Templum aſportauit. Præpoſitus Generalis ſui ordinis, & ſacræ familiæ caput Auenione renunciatus, nihilo elatior vnquã deprehenſus eſt, ſed capitis functus officiis, ſæpe pro toto fleuit corpore: & à ſe ſummis precibus [7] deprecatus eſt infulas & purpuram, quas imponere Calixtus III. Pontifex Max. cupiebat. Quò lapſam erigeret religioſæ vitæ diſciplinam, tumẽtes ſuorum animos ſçpe depreſſit, & ipſemet cum

aliis ſponte cecidit in terram,vti Leodij contigit,cum iuſſit ſecum omnes, magna quidem in menſa ſed humili, nudâ nimirum humo prandere,quòd omiſſo per æditui ſomnolentiã ſigno, ad matutinas preces decantandas non conueniſſent. Multa item dixit,fecítque,tam ſe digna quàm tulit indigna, viginti ipſos annos, quibus ordini præfuit & incubuit inſtaurando: ad quod opus promouendũ pręter multa [a] cœnobia, quæ ſanctiori ſubdidit diſciplinæ,in ſacrum eiuſdem ordinis Gynæceum B.Frãciſcam Amboſiam, Armorici quondam Ducis vxorem adduxit, longè plura facturus, niſi quòd malis moribus bellum indiceret, [b] à malis moris ſublatus fuiſſet. Ab incerta enim manu, certam cùm accepiſſet mortem in moris quæ comedebat in menſa, veneno(quod antiquus ſine dubio ſuppeditauit ſer-

pens) eſt extinctus. Non ita tamen, quin poſt mortem, multa ediderit miracula; Puerum ſuſcitarit mortuum, hydropem ſanarit, fluxum ſtiterit ſanguinis, & à dæmone mulierem liberarit obſeſſam, vt in cœlum receptum non dubitares hunc Eliam. Sed vbi nunc Hæliſæus? ô vtinam ſi non pallium, ſaltem eius haberemus ſpiritum.

N O T Æ.

1 *Soretius.*] Nortmannus, ex nobili familia & pia, natus anno 1420.

2 *Futura prædix.*] P. Ioanni de arundine barbaros timenti dixit. Quid eſt quòd tantopere reformidas, nempe capiemur vterque, ſed tu regi gratiſſimus eris propter egregias tuas dotes, ego verò tanquam vile mancipium in ſeruitutem abducendus. Quod vtrumque contigit.

3 *Milites.*] Per quorum cuneos tranſijt intrepidus.

4 *In his omnib.* &c.] Quia Elias Propheta prædixit futura: milites ad ſe miſſos non timuit ſed ſeuerè puniit &c.

5 *In vrbe Leodien.*] Expugnata ab exercitu Caroli Ducis Brabantiæ & Burgundiæ.

6 *Proiectum.*] Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum.

7 *Deprecatus.*] Horam integram ad Pontificis genua prouolutus.

8 *Cœnobia.*] Pariſienſe, Andegauen. Bordonen. in Armorica. Mechilinien. Moguntinum. Atrebatenſe & Gandauenſe.

9 *A malis moris.*] In cœnobio Nannetenſi. *Nantes*, vbi ſenſit venenum, exclamauit, ô peſſimum cibum, Deus bone, ſed parcas illis velim; nam ſi quid in me peccatum eſt, totum tuo amori condono.

Ex humanis ſublatus eſt anno 1471. die 25. Iulij.

Ex M. S. reperto in Belgio cum expoſitione paranetica regulæ Carmelitarum.

SANCTVS ROBERTVS Ciſtercienſis Ord. Fundator.

INTER Campanos [1] Princeps fuit ſanguine, inter Sanctos pietate; tanto ante ortum à piiſſimis parentibus, quãto poſt mortem ſtudio expetitus à poſteris. Illum [2] diu parturiit mater, quia magnus erat naſciturus, imò tantus, vt ad nuptias necdum natus expeteretur, & [3] annulo deſponſaretur aureo, à virgine, eâque Dei matre, qua ne indignus eſſet, [4] Cellenſibus adſcriptus monachis, quo purum protegeret animum, corpus ſæpius armauit cilicio, flagello dexteram. Eâdem ratione, à variis [5] Abbas electus monaſteriis, ædes ſæpe mutauit, ne mutaret mores: Moliſmo, quod cum eremitis ſeptem [6] Cola-

nenſibus erexerat, ſemel atque iterum diſceſſit, cùm pulſas auro doluit virtutes, quas ſacra pepererat [7] paupertas; & contrà, vitia indignatus eſt fieri eremitas. Vnde cum viginti ſociis in ſyluas [8] Burgundiæ penitiores ſecedens, [9] Ciſtercienſem [10] genuit ordinem, vt parens, quem Bernardus aluit & ad perfectam deduxit ætatem vt nutrix, ſed Moliſmo iterum redditur, iuſſu Romani Pontificis, virtutes ſecum reuexit, à quibus pulſa viciſſim exulauere vitia, præter [11] inobedientiam, quæ egreſſa tardiùs, ſenſit in aquis, Abbatis fulmina, cùm panes ab ipſa ſeruatos in aquas dari iuſſit præcipites: in quorum locum plures alios eodem momento Diuina prouidentia ſuffecit, vt hinc diſcerent aſcetæ virtutes alere, à quibus alerentur.

NOTÆ.

NOTÆ.

1 PRinceps.] Filius nempe Theodorici ex Ducibus Burgundiæ, & Ermengardis ex Comitibus Niuernenſib. *Chryſoſt. Henriquez in Faſcicul. Ciſterc.*

2 *Diu parturijt*] Multis antè annis ſterilis fuerat mater.

3 *Annulo.*] Ermengardi Prægnanti B. Virgo in ſomnis apparuit ſemel & iterum, annulum geſtans aureum, & his allocuta eſt verbis, O Ermengardis, Volo filium, quem geſtas in vtero, hoc annulo mihi deſponſari.

4 *Cellenſib.* &c.] Ordinis S. Benedicti, apud Trecenſes, vbi prior eſt electus.

5 *Abbas.*] Primò à Monachis S. Michaelis Tornodoren. *de Tonnerre.* 2. Prior S. Aygulphi, *d'Ayoul.*

6 *Colanen.*] Colan. eremus non longè diſtans à Monaſterio S. Michaelis Tornodoren.

7 *Paupertas.*] Miſſi aliquando Trecas ſine pecunia qui emerent cœnobio neceſſaria, quòd ſeminudi, ſine calceis, ſine terialibus eſſent, ab Epiſcopo ſunt ſuſcepti, veſtiti & dimiſſi cum curru cibis onuſto, & ex eo tempore, piorum eleemoſynis ita ſunt ditati, vt ex adipe prodiret iniquitas.

8 *Burgundiæ.*] Ducatus.

9 *Ciſtercienſ.*] Gall. *Citeau* in Diœceſi Cabilonenſi 1. *de Chalon ſur Saone.*

10 *Genuit ordinem.* Anno 1098.

11 *Inobed.*] Iuſſerat promo, vt duobus clericis petentibus eleemoſynam daret, qui panes negauit eſſe domi; mox tamen dato ad prandiu ſigno, appaiuere quos ſeruarat. Hoc indignè ferens Abbas, in ſubterfluentem aquam, e monte, iuſſit proiici, vt ſic obedientiam diſcerent alumni Cum autem ex eo monte redirent, 3. currus panibus onuſtos ad portam Monaſterij repererunt. a pijs quibuſdam matronis Caſtellionenſibus miſſoſ. Ex Chryſt. Henriquez.

Sacer illi dies Ciſtercij 29. April.

B. REGINALDVS
A SANCTO ÆGIDIO
Dominicanus.

BEATVS REGINALDVS, Dominicus Gallicus, aut ante inſtitutum ordinem, Dominicanus, animo concepit, quod Dominicus peperit. [1] Ex Canonico enim Aurelianenſi, Diuini verbi præco zelo ardentiſſimus, nuntium rebus omnibus

remittere ſtatuerat, vt ſacris vacaret cõcionibus, cùm [2] profectus Romam, in recens natum incidit ordinem, quẽ parturiebat. Vt vidit, expetiit, ſtatuítque illum ingredi, qui à ſe non potuit egredi. Sed quia [3] cœlum illi futurus erat, vbi etiam quæ dura ſunt & acerba, experturus erat ſuauia, non patuit ei aditus, niſi per purgantes flammas, variarum ſcilicet febrium, quas tamẽ [4] Virgo beatiſſima comitantibus DD. Cæcilia & Catharina, cœleſti extinxit, quo potius accenſura videbatur, oleo: imo & eas omnes, quas olim excitatura fuiſſet Venus in lumbis. Vbi enim virgineam manum, Reginaldi à febri decumbentis corpus vngentem ſenſit, citiſſimè aufugit nunquam reditura. (Sub tanta niue, quanta inerat virginis dexteræ, impuri latere non poſſunt ignes) nec talis odorem ferre lilij, tam venenati ſerpentes.) In opta-

tum admiſſus cœtum, veſtem nō petiit, ſed dedit, ex [5] B. Virginis præſcripto; nec in eodem tyrocinium poſuit, qui iam ante ingreſſum perfectus fuit. Ex vrbe, [6] Bononiam miſſus, quòd in concionibus Diuinum non adulteraret verbum; & prolem quæreret, non voluptatem; exiguo ſex menſiũ interuallo, [7] innumeros Chriſto ac religioni peperit: è quorum numero fuit [8] adoleſcens, qui ab ædibus iuſtitiæ, veritatis & pacis, repulſam paſſus, à miſericordia & Reginaldo ſuſceptus cum veſte profanâ poſuit vitia, & ſacram, cum Chriſto induit: Bononia verò vt acceſſit Pariſios, tam bellè, tam ſanctè dixit & vixit, vt locutus oracula, miraculis confirmarit, quibus omnium animos rapuit & corda. Sedeum viciſſim ſolito [9] mors furto, ex humanis eripuit Pars eius altera, in æde Beatæ Virgi-

nis Campeſtris cõdita, theſaurus fuit, nec abſconditus, licet multa defoſſus humo: variæ enim è corporibus abactæ [10] febres, locum inſcripſerunt, Theſaurum ſanitatis.

NOTÆ.

1 EX *Canonico.*] Et Decano Eccleſiæ Sancti Aniani Aurel.

2 *Profectus Romam.*] Cum Epiſcopo Aurelianenſi.

3 *Cælum, &c.*] Timuit moriens, ne valde exiguam acciperet de bonis operibus mercedem, quòd omnia in religione, ſumma cum voluptate feciſſet.

4 *B. Virgo.*] Quæ primùm rogat quid velit, at ille Virginis arbitrio & voluntati omnia permittens, quam primùm ab eâ vngitur & ſanatur.

5 *Ex V. præſcripto.*] Cum eum ſanum fecit Virgo beatiſſima, veſtem illi oſtendit, quam vellet ferri à PP. Dominicanis, qui antea gerebant habitum Canonicorum regularium S. Auguſtini.

6 *Bononiam miſſus*] Vicarius Generalis ordinis, à S. Dominico.

7 *Innumeros.*] Et Illuſtres viros, Abbates, & Decanos, Archidiaconos, Priores, Doctores &c.

8 *Adoleſcens.*] Viſus eſt ſibi videre in ſom-

nis horrendam tempeſtatem, à qua iactatus, vi-
debatur, multis vitijs & peccatis obnoxius iuue-
nis, confugit in proximam quandam domum,
ſed hoſpita, quæ vocabatur iuſtitia, illum ad-
mittere noluit, quòd iniuſtus eſſet, neque ſecun-
da & tertia, quæ Veritatis & pacis nomine di-
cebantur, ſed monitus vt ad quartam pergeret,
cuius nomē erat Miſericordia, Paruit. Accedenti
venit obuia miſericordia, & conſuluit, vt Patres
adiret, qui morabantur in æde S. Nicolai I. Re-
ginaldum & ſocios, ibique inter illos fore vt ſa-
lutem ſuam operaretur. Monitum illud eſſe Di-
uinum ratus adoleſcens, non ſomnium, Poſtridie
Reginaldum conuenit, & ab eo Religioſa dona-
tus eſt veſte.

9 *Mors.* &c.] 18 Aprilis.

10 *Febres.*] Multa fecit miracula 400. annis,
Epigraphen tumuli ſui probantia, ſic habentem
Tandem optimus S. Reginaldus hic ſepeliri vo-
luit (in æde Virginis Campeſtris) quo in loco
corpus eius Sanctiſſimum quieſcit, vbi fiunt quo-
tidie maxima miracula, præcipuè in ſanandis om-
nis generis Febribus.

*Ex F. Antonio Maillet Domi-
nicano, & Vincent. Bellouacen.
lib. 30. Speç. hiſt. 669. & 70.*

S. AVENTINVS *Eremitæ.*

QVÆ Auentinum Bituricenſem in ſancti Cameliani Trecenſis Epiſcopi familiam ſanctitas adduxit, eadem abſtraxit. Quod enim [1] Sanctus haberetur Auentinus, ab eodem Antiſtite familiæ ſuæ adlectus eſt, & præfectus œconomus: qui quòd talis haberetur, [2] receſſit. Quandiu autem in illa fuit, ſi Epiſcopo benedictiones impertiit copioſas, & miracula edidit, manus Epiſcopi fuit & Sancti. [3] Si res item heri ex pietate minuit largiendo, miraculis auxit refundendo, largius expertus Cœlum quàm manum ſuam, ex quo aquas ſibi, quas orans fudit oculis, hero verò ſuo diu-

tiſſimè vinum deprompſit, in altero Eliæ par, in altero maior. Eius enim meritis, diutiùs quàm ferebat [4] dolij modus, in Antiſtitis apothecâ vinum fluxit, vt olim Eliæ oleum. Qua deprehenſa ab Sancto Cameliano in vino veritate, ne [5] à vento vappa fieret ipſemet Auentinus, abſceſſit [6] in Eremum, Sequanam inter Ozam, in locum abluendis animis, nimirum duos inter fluuios, maximè idoneum; vbi hirſutum indutus cilicium, quot pungentes ſenſit pilos, tot ſenſit ad virtutem aculeos. At quam latere voluerat homines ſanctitatem, feris ipſis prodidit, quippe fremens vrſus illi pedem attulit, cui auulſa ſpina faceret medicinam; & aues in eius manum ſæpiſſimè deuolantes ad antiquum in res creatas rediiſſe docuerunt dominium, qui per virtutes, ad parem Adamo redierat naturæ integritatem, nóſ-

que monuere ſe, vtpote cœleſtes, cœleſtibus viris delectari.

NOTÆ.

1 S*Anctus.*] Audiebatur enim, vt erat humillimus, Caſtus, prudens, benignus, & cæteris præditus virtutibus.

2 *Receſſit.*] Vt vanitatem fugeret.

3 *Si res heri,* &c.] Pauperibus, Viduis, & pupillis copioſè largiebatur.

4 *Dolij modus,* &c.] Nullo modo vnquam minuebatur, licet ex eo omnes Antiſtitis domeſtici ſingulis diebus biberent: vt autem alteri commiſſa eſt apotheca, breui euacuatum eſt doluim. *Camuſatius in Prompt. Eccl. Trecenſ.*

5 *A vento.*] I. A vanitate, ob patratum miraculum.

6 *In eremum.*] Primò in locum qui nunc abeo dicitur S. Auentinus 2. in Capellam Ozæ. mortuus eſt circa annum 500. 4. Feb.

Ex Camuſat. & Ribaden.

S. THEOBALDVS *Eremicola.*

QVI Theobaldi vitam, ſanctitatis Paradoxum dixerit, non dixerit paradoxum. Nam vt candidior fieret, carbone ſe infecit; vt ditior, abiecit diuitias: Exuit veſtes vt tegeretur: & vt citiùs quò tendebat, perueniret, equis ſeruo relictis, pedes inceſſit. Si quidem [1] Carbonarij baiuli munus, Chriſti cauſſa & virtutis colendæ, [2] ex agro Senonenſi nobilis [3] in Germania obiit, quò nudis pedibus, cum Galterio viæ & vitæ comite, ab vrbe Remenſi clam ſeruis aufugerat, mutata, ne agnoſceretur, in peregrini ſacculum veſte. Ex perigrinatione ad D. Iacobi ſuſcepta

redux, terrenum quem Treuiris reperit Patrem, [4] refugit, vt coleret cœleſtem; quod adeo ſanctè in Vicentiana venetæ ditionis præſtitit Eremo, vt eò ſanctitatis miraculorúmq; fama innumeros homines, atque in primis parentes ſuos, multorum nobilium comitatu ſtipatos exciuerit, matríque ſuaſerit, ætatis iam prouectæ mulieri, vt ſuis valere iuſſis ac ſæculo, lac ſed cœleſte, â filio ſumeret, aut genitrix cùm eſſet, nati filia fieret: ſpiritúmque acciperet ab eo, cui carnem olim dediſſet. Tandem poſt patriam Senonibus ſuis relictam, diuitias Remis, nobilitatem Treuiris, corpus Vicentiæ, vnam ſeruauit animam, quam Deo [5] reddidit, cœlis inferendam. Variis autem in locis ſua reliquit, quòd tot & tantis recipiendis, quas abiiciebat rebus, vnus non ſatis eſſet locus.

NOTÆ.

1 *CArbonarij.*] Inter viliſſima quæ Chriſti & virtutis gratia, obiit munera, lapides tulit & cæmenta, fænum ſecuit, ſed præcipuè ad opera frabilia tulit carbones, & ita ſibi victum comparauit.

2 *Ex agro Senonen.*] Nimirum Pumino Caſtro Gall. *Prouins.* Diœceſis Senonenſis.

3 *In Germania.*] Treuiris.

4 *Refugit.*] Abiit ad venetos, in quorum ditione Eremum incoluit.

5 *Reddidit cœlis.*] 30. Iunij

Ex M. S. Cod. cuiuſd. eius coætanei.

S. [1] LAVNOMARVS *Eremita.*

AB ouibus Paternis quas pauit puer, Agnus eſſe didicit, qui quotidiano ad ſolis occaſum producto ieiunio, ita carnem domuit, vt ne leuiſſima ab ea macula infici potuerit. Ad ſacerdotium pietate & doctrina euectus, à primo vix diſceſſit officio; qui oues pauerat, pauit paſtores, totius [2] Cleri Carnotenſis, nihil tum priuatim poſſidentis, œconomus electus, aut promus condus. Eo in munere, pondus illi vniuſcuiuſque fuit neceſſitas, libra, manus; tantum hæc dedit, quantum illa poſtulauit. Quidni autem manus ei libra ſit, cui tot ſunt libellæ, quot digi-

ti? In ſaltu enim [3] Vnellico (quo ſe poſtea recepit vt Eremum incoleret) commoranti, miſit locupletiſſimus quidam Carnotenſis Ermoaldus nomine morti proximus, nummos XL. vt Deum fortè aut mortem auro [4] corrumperet. Hos ad libellam vocauit, hoc eſt, digitum ſuum, cui extremo impoſuit Launomarus, & in omnibus præter vnum, [5] iniquo mammona deprehenſo, ingratam hoſtiam ab aris remouit. In eadem eremo ſua, cùm aliquãdo tota nocte à latronibus quęſitus fuiſſet, tenebræ lucem, lux tenebras iuuere. quem enim filium lucis celarant tenebræ, ne à tenebrarum filiis malè haberetur, mentiri aut fingere neſcia lux ipſa prodidit, in quo licet nouercam Launomoro ſe prębuerit, matrem ſe furibus fecit, cùm filios fecit lucis. nam cùm ille nihil præter Chriſtum haberet & virtutem, vtrum-

que ſunt furati. Sed licet hoc ſanctiſſimum fuerit latrocinium, & ſine diſpendio factum; fures tamen piiſſimi, ex hoc tempore, cruci ſe addixerunt.

NOTÆ.

1 L*Aunomarus.*] Gall. *Laumer* Patria Carnotenſis.

2 *Cleri Carnotenſ.*] *De Chartres en Beauce.*

3 *Vnellico.*] *Du Perche.*

4 *Corrumperet.*] Rogante pro eius ſanitate, Launomaro.

5 *Iniquo Mammona.*] Qui iniuſtè parti erant omnes præter vnum.

Vixit tempore Clotarij primi, filij Clodouej.
Colitur autem die 19. Ianuarij.

Ex Martyrolog. & legendis Eccl. Carnoten.

BEATVS [1] *ROBERTVS DE ARBRVSCELLIS Ordinis Fontis Ebraldi.*

POST litterarios [2] agones, merita donatus palma [3] & lauro, aliam inſtituit pugnare pugnam Robertus, in qua non vincit, niſi qui à ſe victore vincitur: nec vincitur niſi qui hoſtes ſuos cùm fuderit, incruento vulnere ſuum effuderit cum carne ſanguinem. In ea autem pugna vt vinceret, Canones Primò, ſed vitæ ſanctioris, quos apud [3] Canonicos regulares acceperat, deinde catenam ferream, & tunicam hamis cōſertam adhibuit cum cilicio. Quibus inſtructus armis in liberiorem [4] exceſſit campum, ne quis vmbratilem putaret

putaret eſſe pugnam, aut quò proie-ctis omnibus expeditior eſſet ad certamen; ad quod hoſtes ſuos prouocans, ore dæmonem, in quem aſſiduas fudit preces: carnem manu, quam impactis contudit verberibus: & mundum quem contempſit, pedibus protriuit ac profligauit: cuius victoriæ præmium, non laurea, ſed hominum vtriuſque ſexus, data eſt corona, qua ſtatim cinctus Robertus, in ordinem componi voluit ſed in eo erigendo, naturæ inuertit ordinem, vt ſequeretur gratiæ, aut Chriſtianæ virtutis; primas in regimine mulieribus conceſſit. Memor enim horum verborum è cruce pendẽtis Chriſti, ad dilectum Diſcipulum, *Ecce Mater tua*; quam virginem, [s] Fontis-Ebraldi cœnobio, & toti præfecit ordini Antiſtitam, ab eiuſdẽ ordinis viriscoli voluit & audiri vti à filiis matrem, ab Ioanne Mariam:

BEATVS [1] ROBERTVS DE ARBRVSCELLIS Ordinis Fontis Ebraldi.

POST litterarios [2] agones, merita donatus palma [·] & lauro, aliam inſtituit pugnare pugnam Robertus, in qua non vincit, niſi qui à ſe victore vincitur: nec vincitur niſi qui hoſtes ſuos cùm fuderit, incruento vulnere ſuum effuderit cum carne ſanguinem. In ea autem pugna vt vinceret, Canones Primò, ſed vitæ ſanctioris, quos apud [3] Canonicos regulares acceperat, deinde catenam ferream, & tunicam hamis cõſertam adhibuit cum cilicio. Quibus inſtructus armis in liberiorem [4] exceſſit campum, ne quis vmbratilem putaret

putaret eſſe pugnam, aut quò proiectis omnibus expeditior eſſet ad certamen; ad quod hoſtes ſuos prouocans, ore dæmonem, in quem aſſiduas fudit preces: carnem manu, quam impactis contudit verberibus: & mundum quem contempſit, pedibus protriuit ac profligauit: cuius victoriæ præmium, non laurea, ſed hominum vtriuſque ſexus, data eſt corona, qua ſtatim cinctus Robertus, in ordinem componi voluit ſed in eo erigendo, naturæ inuertit ordinem, vt ſequeretur gratiæ, aut Chriſtianæ virtutis, primas in regimine mulieribus conceſſit. Memor enim horum verborum è cruce pendẽtis Chriſti, ad dilectum Diſcipulum, *Ecce Mater tua*; quam virginem, [s] Fontis-Ebraldi cœnobio, & toti præfecit ordini Antiſtitam, ab eiuſdẽ ordinis viriscoli voluit & audiri vti à filiis matrem, ab Ioanne Mariam:

à qua viciſſim eoſdem diligi voluit, vti à matre filios, à Virgine Ioannem. Quæ cum Paſchali II. Pontifici Maximo adprobaſſet, ab Vrſonio cœnobio, pugnis & victoriis ſuis debitas accepturus coronas, [6] in cœlum abſceſſit, dum hîc triumphat in miraculis.

NOTÆ.

1 R*obert.*] De Arbruſcellis, alias de Arbricello.

2 *Agones.*] Theologicos, apud Sorbonam.

3 *Canonicos regul.*] Inter eos adſcriptus, in cœnobio ſanctorum omnium apud Rhedonenſes in Armorica.

4 *Exceſſit.*] Comite Sacellano.

5 *Fontis Ebraldi.*] Sic dictus eſt Locus primi cœnobij, ex quo totus denominatur ordo.

Hunc autem ordinem erexit circa annum 1106.

6 *In cœlum,* &c.] Die 30. Auguſti.

Ex Martyrol. Gall.

S. LVDOVICVS Franciſcanus.

APVD [1] Arragonium regem pro parente [2] obſes, animi libertatem ità in vinculis meditatus eſt, vt vix prius abierit ecarcere quàm à ſæculi vanitate: ſeptẽnio enim quo captiuus fuit. veram edoctus [3] Philoſophiam, Chriſtiana moralia, & practicam ſapidamque Theologiam. quæ nihili facienda docent eſſe fluxa omnia, eadem, Patri & Regnis redditus, religioſi ordinis candidatus, [4] propugnare voluit, quibuſcunque impugnantibus. Acris ea fuit pugna, non ludicia; contorta ſunt in eum argumenta quàm plurima, exertæ fermè omnium linguæ. Heu quid non dixiſtis petulantiſſi-

mæ? quibus iniectam à Cœlo mentem non lancinaſtis aculeis? vicit tamen Ludouicus, cùm regna ſua volens perdidit, iacturam lucro apponens, ſi amiſsis gentilitijs aut Gallicis, vnius [5] Caſtitatis ſeruaret Lilia, quæ tanti fecit adoleſcens , vt ne à [6]ſororibus ſuis, reginis Galliæ & Arragoniæ, imo ne a matre quidem, oſculo tantillùm delibari permiſerit, quòd longè pluris faceret, quæ carnem aufferret, caſtitatem, quàm quæ carnem olim dediſſet, matrem. De coronis, parta victoria, pugna Ludouico fuit deinceps cum infulis; ſed à ſummo[7] Pontifice, ab illis pugnante, victus, hoc euicit ſaltē, vt veſte humili & aſpera, nodoſóque fratrum Minorū fune reliquum corpus tegeretur, quo cæterorū membrorū modeſtiâ, vnius capitis oppugnaret honores, & qui maior multis eſſet capite toto Minor

eſſet corpore. Toloſæ in qua vrbe Archiepiſcopus fuit, quotidianos habuit Sanctorum conuiuas,[8] pauperes, & benè multos, atque adeo ſæpe infectos lepra; quos cùm lauit, plus ornamenti animæ ſuæ addidit, quàm illis detraxit ſordium. Mendicabulorum[9] confeſſiones cùm exciperet, ſi fœdis, vt fit, remuneraretur pediculis, ioco habebat, auctum ſe dictitans pauperum gemmis. Non ita ſi temerè iurantem audiuiſſet; ne æternas ſubiret, qui iuraſſet, purgantes continuò verbis ardentibus adhibebat flãmas, nobilis fuiſſet aut Princeps, Sacerdotum autem nemò tantum fuiſſet auſus. ijs enim ore labi non licebat, quod ne pilo peccare patiebatur, aut miniſterium ſuum cirris &[10] barba mentiri. Sed diu ſub infulis viuere non potuit: ingenti oppreſſus occubuit, ſub quo gemebat, pondere;

quo tandem leuatus, ex meliore ſui parte, in cœlum abſceſſit, cùm Romam eo fine [11] per Prouinciam Phocenſem properaret. In altera iterum captiuum ſuum detinet [12] Arragonia, Vnum tantùm Maſſiliæ liberum eſt eius brachium, ſed potens quod triplicem fregit laqueum, quo nobilis pendebat [13] Appulus. Heu quanto totus valet robore, qui vno tantum poteſt brachio?

NOTÆ.

1 A*Rragonium.*] Petrum qui nauali pugna vicerat Carolum II. Ludouici Parentem, Neapolit. Regem, & ſiculum, nec non Prouinciæ Phocenſis Comitem.

2 *Obſes.*] Barcinone, cum duobus ſūis fratribus Roberto & Raymundo.

3 *Philoſophiam,*] &c. Præceptoribus vſus, ex ſacris ordinibus SS. Franciſci & Dominici.

4 *Propugnare.*] Regna ſua relinquendo, vt religioni nomen daret.

5 *Caſtitatis.*] Iam amans fuit Caſtitatis, vt

carnem miris modis attriuerit, ieiuniis, funiculis, catenis ferreis, aſperiore interula &c.

6 *Sororib.*] Cum à carcere liber, ſororem ſuam, Galliæ Reginam, inuiſeret, & illa more patrio oſculari vellet, non permiſit; Idem negauit matri ſuæ, Neapoli; quæ cum dixiſſet illi, Ego ſum mater. Et mulier, ſubiecit ſanctus. In alteram verò ſororem ſuam, Arragoniæ Reginam, ne oculos quidem coniecit.

7 *Pontifice.*] Bonifacio VIII.

8 *Pauperes bene multos.*] Nimirum 25. quibus aquam præbebat, cibos frangebat, & ſæpe flexis genibus miniſtrabat, tantâ cum animi pietate, ac ſi Chriſtum vidiſſet.

9 *Confeſſiones.*] Per vrbem Toloſanam cùm aliquando tranſiret, muliercula quædam moribunda petiit pænitentiæ ſacramentum, continuò adfuit Ludouicus, & eius confeſſionem excepit, ſacerdotibuſque ad hoc opus ſe offerentibus dixit, ouis mea eſt, paſcere illam debeo.

10 *Barba.*] Ipſemet manibus ſuis abſcindebat, ſi quis in eo peccabat.

11 *Per Prouinciam,* &c.] Brincolæ Gall. *Brignole.* in eâdem qua natus fuerat domo 19. Aug. ætatis ſuæ 33. à Chriſto nato 1297.

12 *Arragonia.*] Anno 1417. captâ maſſiliâ Alphonſus Arragonum Rex corpus S. Lud. Valentiam miſit.

13 *Appulus.*] In ciuili bello Appulos inter nobiles, & plebem, captus quidam nobilis, ductus eſt ad patibulum, qui quòd S. Ludouicum

vocaſſet in auxilium, & vouiſſet ſe iturum ad eius ſepulchrum nudis pedibus & oſtiatim mendicando, ter rupto fune validiſſimo liberatus eſt.

Ex Petro Ribadeneira Societ. Ieſu.

S. STEPHANVS Grandimontanus.

EODEM pene momento [1] votum concepit & filium [2] Vice-comitis Aruerni [3] vxor nobiliſſima, quæ partum ſuum tanquam de natura victorem (diu enim antea ſterilis fuerat) Stephani nomine coronauit. Sed ille nomine tantùm tenus ſe coronatum ſentiens, cùm per ætatem licuit, vt veram adipiſceretur coronam, in pugnam deſcendit. Annulo enim, quem vnum ex omnibus paternis opibus reliquum ſibi fecerat

vbi [4] Mureto imminentem, ſibi deſponſauit Eremum, ex qua Grandimontanum genuit ordinem, tunicâ indutus ferreâ, ſolis [5] paſtus herbis aut ieiunijs, quinquaginta ipſos annos, quibus e ſiluis pedem non extulit, ita cum hoſtibus conflixit, vt æternam tandem conſecutus ſit coronam. Quo tempore autem in Eremo fuit, eius virtutum fama exciti Muretani, peccata illi ſua ſed purganda; alij vitæ neceſſaria ſæpe detulerunt, vtrumque alij: inter quos. mulier quæ oua partim furto ſublata obtulerat, eodem crimen ſuum ſenſit detegi, quo Stephani ſanctitatem, cùm ille furtiua à legitimis diſcreuit & repulit. Idem ſenſere graſſatores nonnulli, qui orante B. Virginem Stephano, captiuo ſuo detracta ſubitò doluerunt vincula, ſibique iniici, quibus conſtricti, ad Monaſterium ducti ſunt &

pœnitentiã. His tamen miraculis nunquã elatus ab animi demiſſione receſſit; quin potius maiores ſibi putauit ad virtutem addi ſtimulos, quo plura patraret miracula, & minores experiretur à carne aculeos. Quod enim inde maiori vento viam aperiri vidit, virginitatis ſuæ flori magis timuit & cauit. Vitrea eſt hæc virtus, quæ non ſolum frangitur, cùm tunditur, verùm etiam cum vento inflatur. Et mirabitur quis ſuauiſſimos ex eius corpore erupiſſe odores, quid mirum, cùm tantos ſub corde nutrierit flores?

NOTÆ.

1 VOtum] Quo prolem ſuam Deo vouit, ſi concederet.

2 *Vice-comitis*] Stephani, Vicet-Com. *de Tiers*

3 *Vxor.*] Candida nomine, & moribus.

4 *Mureto.*] Apud Lemonicenſes.

5 *Paſtus herbis.*] A tempore quo in Eremum Seceſſit, carnem butyrum, aut oua non comedit. Obijt anno 1142. multis illuſtris miraculis, ætatis ſuæ 80. Cultæ eremi 50. die 7. Feb.

Ex And. du Val. Doct. Sorbonico.

S. GVILLELMVS. *Guillelmitarum inſtitutor.*

NON eſt quod ab armato timeas; vt contumacem debellaret naturam, ſic Guillelmum armauit gratia, Titulis inſignis erat Guillelmus, Dux Aquitaniæ, Comes Pictauorum, præcelſus animo, [1] procerus corpore, [2] irâ & vitijs maior: inceſtu & [3] Schiſmate tam fœdus, quam clarus ſanguine. Sed ô ſtupendum è Cœlo prodigum! D. Bernardus Abbas Clare-

uallenſis ad eum procedit, Sanctiſſimũ Euchariſtiæ Sacramẽtum obiicit, & cõtinuò corã iudice reus, corã agno cadit leo: & quã mali cauſam nouerat conſcientia, repetito verbere Pectus tundit vindex dextera. Hinc ad Eremi ſanctum pergit incolam, quid facto ſit opus rogaturus; qui eum, quòd totus fuiſſet ſcelus, perpetuo ſtringit ferro, galeâ caput, pectus lorica, & decem catenis onerat, ſicque vinctum * ad Pontificem Maximum mittit à ſpiritualibus vinculis ſoluendum. Ad hominis ferrei conſpectum exhorruit Pontifex, animo ſecum reputans, Pœnitentiæ telis imperuium eſſe pectus, quod ferro tegeretur. Verùm inſolentis veſtimẽti cauſam edoctus, Ieroſolimam ablegauit, vt à Chriſte ſanguine rubens terra impiatam ſceleribus animam maiori rubore ſuffunderet, & ad lacrymas prouo-

caret. Inde poſt [5] duos annos egreſſus vt ad ſuos rediret, quòd ſolem reliquiſſet, lumen amiſit, ſed orientem mox repetens, lucem recepit. Ex eo tempore [6] in Italia varias incoluit eremos, in quibus bellè eiaccidit, quòd armatus fuit, multos enim hoſtes habuit, homines & dæmones, qui numeroſas illi impoſuerunt Plagas. Sed quot vulnera, tot fuere ora, quæ Chriſti laudes, ſanctique victorias cecinerunt, & pias D. Virginis aduocarum manus. Ad ſtabulum Rhodis, vbi deceſſit (nunc mala vallis dicitur) Venerabundos expertus eſt ſerpentes, morbos nutui obtemperantes, mortem ſuauem: Poſt quam ſi longè pulchrior, quàm dum viueret, viſus eſt: nihil miri, multis ſe abluerat annis, vt tibi nitidum eſſet, POENITENTIÆ SPECVLVM.

NOTÆ.

1 *Procerus.*] Gigantæa potius erat forma, quàm humana quare vix ei ad prandium ſufficiebat cibus, qui viris 8. fortiſſimis fuiſſet ſatis. *Henriquez l. 2. diſt. 12. faſcicul Ciſtercienſ.*

2 *Irâ.*] Semper ferè armatus incedebat, & inuitos trahebat ad certamen.

3 *Schiſmate.*] Quo partes tuebatur Petri Leonis Antipapæ, contra Innocentium II. verum Pontificem.

4 *Ad Pontificem.*] Eugenium III.

5 *Duos annos.* 9.] Dicunt Alij, vt *Henriq.* c. 4. Toto eo tempore, in ſpecu pœnitentiam egit, cibario pane & aqua.

6 *In Italia.*] In Liuallia ſilua, quæ eſt in Piſanorum finibus, ſpeluncam horridam incoluit in monte Pruno: In Liuallia iterum, in Petricio monte, Caſtillione, in Eccleſia S. Nicolai, demum in ſtabulo Rhodis, quod eſt in agro ſenenſi vbi obiit ann. 1156. 4. id. Feb.

Ex Theobaldo Epiſcopo & Chryſoſt. Henriquez in faſcicul. Ciſtercien.

S. IGNATIVS Ieſuita.

CANTABRIÆ [1] PACE DIXERIM, Gallus eſt IGNATIVS, quatenus Sanctus. Genuit & aluit eum Gallia, è Gallico igne natum aut æneo tormento. Quàm vbique mira es ô mea Gallia! quæ machinis etiam bellicis ſanctos parias, nec Martyres, ſed Confeſſores. Arcem in Gallos propugnabat [2] Pompelonenſem nobiliſſimus Cantaber, cùm Bombardæ ictus glande, corruit, quo ruente arx [3] ſtare non potuit. Ex ictu claudus, rectè in poſterum ambulauit; imo ad loca ſacra, & ſanctitatem cucurrit, non priùs tamen quàm peccatorum Sarcinam, (quòd oneri eſſet) ad D. Virginis Montiſſerrati depoſuiſ-

ſet. In eo itinere, ruſticâ veſte tam tegi non potuit nobilis, quàm Barcinone inter pueros vir perfectus, aut Venetiis lux in tenebris latere; vbique ſanctitate & miraculis emicuit inuitus. [4] In Minoreſano ſpecu, in quo duriſſimam egit pœnitentiam, cùm flagello ter quotidie, piâ crudelitate carnem acerrimè tunderet, mollior eius brachio rupes Saxea exhorruit, & ad ictus ſingulos, per Echo ingenuit. Sub idem tempus, octiduo, in exceſſu mentis cùm permanſiſſet, Iesvs, quem expergiſcens & ſemiſopitus inclamauit, quocum tamdiu fuiſſet, prodidit: aut certè, quod ei Deus Societatem poſt ſomnum oſtenderet (quemadmodum olim Adamo Euam) vt nomē imponeret, Iesv nomine inſigniuit.

Poſt verbera, ferulæ ſubiecit manum, & triginta trium vir annorum, cùm

cùm aliquandiu latinè balbutiiſſet lutetiam Pariſiorum venit, vbi Philoſophiam ebibit, & Theologiam, ſocietatémque peperit, adlectis ſociis nouem. E tanti regni capite hanc naſci decuerat [5] Mineruam, & tantum fœtum non minores habere cunas. At præcluſo à bellis pelago, quòd Chriſti veſtigia Ieroſolymis iteratò viſere non liceret, ad [6] Pontificis Romani pedes accidit: vbi [7] in ſocietatis confirmatione, Dei digitum ſenſit [8] Pontifex, Ignatius manum, prout ipſemet [9] adpromiſerat Chriſtus, his verbis; *Ero vobis Romæ propitius*. Quã ſanctiſſimè genuerat, ſtudioſiſſimè aluit ſocietatem Parens, virtutum omnium typus, & exemplum: [10] humilis ad prodigium; [11] mitis & quietus ad miraculum: [12] Salutis proximi ſitientiſſimus, & [13] ſcientiæ ac pietatis proxeneta, [14] Propheta non vanus, &

miraculis imprimis clarus. Sed præter ſanitatem ægris, & vitam [15] mortuo reſtitutas, his præcipuè, quòd vndecim & amplius annos, [16] lingua ne mininùm eſt lapſus, & igneus totus cùm eſſet, [17] fumum non habuit. Altus eſt qui omnes ſuperat ventos, & prodigio ſimilis, qui cùm multis ardeat ignibus, fumo caret.

NOTÆ.

1 *Cantabriæ.*] *La Biſcaie*, in qua natus eſt nimirum Guipuſcoæ.

2 *Pampelon.*] *Pampelune*, in Nauarræo Regno *anno* 1521.

3 *Stare.*] Deditionem fecit, vbi læſum vidit Ignatium.

4 *Minoreſano ſpecu.*] 3. à Monſerrato lapide, Hiſpan. *Manreze.*

5 *Mineruam.*] Societatem Iesv, quæ ſcientias docere profitetur.

6 *Pontificis.*] Pauli III.

7 *Societatis confirmatione.*] Anno 1540. 5. Cal. Octob.

8 *Pontifex.*] Confirmandæ Societati princi-

piò aduerſabatur Pontifex, ſed ſubitò mutata ſententia, cenſuit eſſe adprobandam, in hæc erumpens verba; Digitus Dei eſt hic.

9 *Adpromiſerat.*] Cùm S. Ignatio apparuiſſet crucem geſtans humeris, in ſacello ab Vrbe Rom. 3. milliaribus diſſito.

10 *Humilis*] Optaſſet cadauer ſuum in ſterquilinium proiici.

11 *Mitis.*] Lenitate ſua multorum ſedauit perturbationes.

12 *Salutis proximi.*] Cui ſe & ſocios ſuos addixit.

13 *Scientiæ & pietatis.*] Societatem erigendo quæ ſcientiam cum pietate coniungeret.

14 *Propheta.*] Multis antè annis quàm Societas naſceretur, prædixit Antuerpiæ, mercatori cuidam Hiſpano Metimnenſi, fore vt Collegium Societatis Iesv ſuis ſumptibus excitaret, quod ita contigit.

15 *Mortuo.*] Liſſano Barcinonenſi, in vico Belico, ad Plateam Lullianam.

16 *Lingua.*] Vndecim duodecimue ante mortem annis, verbum nullum protulit, cuius illum pœnituerit.

17 *Fumum.*] Vanitatis, cuius ne motus quidē ſenſit multis annis antequàm è vita excederet. *Ex P. Ribadeneira teſte oculato.*

Obiit anno 1556. ætatis 65. 31. Iulij. In numerum autem SS. relatus, anno 1622. à Greg. XV. petente præcipuè Chriſtianiſſ. Rege Ludouico XIII. Scriptis regia manu ad Pontificem litteris.

S. FRANCISCVS Paulanus, Minimus.

MAXIMVM in Minimo vidit Gallia, cum è Calabria Franciſcum ſuſcepit, qui potentiſſimis regibus maximus, ſibi ſemper Minimus fuit. Ab rege Ludouico huius nominis vndecimo, ex eremo in aulam vocatus, idē præſtitit in aulâ, quod in eremo; medias ingreſſus flammas, illæſus manſit; & ab iſtis non minorem, quam à prioribus accepit claritatem; ſibi enim conſtans fuit eius Sanctitas, licet iiſdem de ea [1] periculum in aulâ fecerit Rex, quibus de Chriſto dæmon in eremo; [2] auro, [3] cibis & [4] honoribus, ſed vbi Chriſto conformem vidit, abſceſſit dęmō, acceſſit Angelus: aut cui dæmon vel tētator fuerat, An-

gelus fuit; ſummo cum honore, vitæ miniſtrauit neceſſaria, & in charis eximium habuit. Cui viciſſim Frãciſcus, ſi non[5] longiorem vitam, vt ęternùm forte moreretur; ſaltem ita mori, vt æternùm viueret, obtinuit: vti duobus ponè ſequentibus regibus Carolo VIII. & Ludouico XII. vt hoſtes vincerent, aut non haberent. Horum poſtremo cùm[6] arcanum detexit peccatum, ſuam illi nec cogitans detexit Sanctitatem. Quam ſumma lenitate & charitate ornatam, tam notam aliis fecerunt innumera fermè miracula, vt ſurdi audierint & viderint cæci; imo & ipſa venerata ſint elementa: Quem enim in calcariâ[7] fornace vrere non auſus eſt ignis, in mari mergere non auſæ ſunt aquæ, cùm e Calabria in Siciliam Laneo tranſiit[8] nauigio, ſeu extenta veſte. Qui autem mergi poſſit qui corpore & animo ſurſum

tendit, poſt viginti ſex annos in Galliâ tranſactos, cum Chriſto, quocum vixerat, mortuus eſt, die veneris ſacro; (ſed quadrageſimæ tempore non mori non potuit, cui quadrageſima in cibo ſemper fuit.) Moriens, in cœlum elatus eſt, qui ſemper iacuerat in terris: nunquam enim viuẽs elatus fuit, niſi cum extaſis in medio [9] ſaltu Regio, dedit ex aere pendulum: aut cùm in ordinis ſui denominatione, quem Minimorum dixit, voluit habere in demiſſione ſuperlatiuum. Sed heu quàm ſancta & innocens ſuperbia, quæ deprimit cùm extollit, extollit cùm deprimit.

NOTÆ.

1 PEriculum fecit.] Suadente Medico Iacobo Corterio, qui timebat, ne ſi valeret Rex, iuberetur ipſe valere, & amittere decem millia nummorum, quæ illi mercedem dabat Rex, ſingulis menſibus.

2 *Auro.*] Primùm abaco aureo omnibus ſuis numeris abſoluto. ſecundùm, imagine aurea lapillis diſtincta 17. millium aureorum. tertium, ipſemet auri vim maximam ſecretò viro Sancto obtulit.

3 *Cibis.*] Maioribus piſcibus, quos illi edendos ſubmiſit.

4 *Honoribus.*] Quibus illum conueniendo & familiariter alloquendo affecit. Hæc autem omnia generosè & ſanctè reſpuit Franciſcus, qui viſo auro, quod Rex ipſe obtulerat, intrepidè Regem arguit, ſatius eſſe dicens nomina ſua diſſoluere, quàm populi ſanguinem exſugere tributis.

5 *Longiorem vitam.*] Regem monuit, Deum illi nolle longiorem vitam concedere, ac proinde animæ ſuæ prouideret, quod vt faceret illi Franciſcus obtinuit, & vt nimium mortis timorem deponeret.

6 *Arcanum.*] Poſt colloquium cum hoc Sanctiſſ. viro, dixit aulicis ſuis Rex, Crediđiſſem nunquam tam Sanctum Virum in terris viuere, niſi experientia didiciſſem; retexit mihi arcana quædam, quæ Deus ſolus noſſe poterat.

7 *Fornace.*] Paulæ in Calabria, vt mederetur calcariæ fornaci rimas argenti, illam ingreſſus eſt.

8 *Nauigio*, &c.] Vt è Calabria, in Siciliam nauigaret, repulſam paſſus à nauta, quod naulum ſoluere non poſſet.

9 *Saltu Regio.*] Pleſſiaci apud Turones: qua

in extaſi viſus eſt à Rege Ludouico XI. eius filia & multis aulicis.

Natalis in cælo dies illi fuit 2. April.

Ex hiſt. generali ordinis PP. Minimorum per Lud. Dony d'Attichy.

S. NORBERTVS Pramonſtrat. ord. Fundator,

ADOLESCENTIAM ne queras, fermè omnem perdidit in [1] aula, ex illuſtri [2] Francorum proſapia nobilis [3] Auſtraſius. Sed quod inter aulicos amiſit pluribus annis, quadraginta dierum ſpatio [4] inter monachos quæſiit & recepit, imò & acceſſionem fecit: eloquentiam enim didicit ſacram, qua, ſi non ſodalibus ſuis Canonicis, ſaltem ſibi ſuaſit, vt [5] Sacerdotium deſeret et opimum, pa-

trias opes egenis largiretur, prauos exueret mores & calceos, quibus exutus expeditior ad ſummum pergeret [6] Pontificem; à quo inuitatus, in aula Pontificia noluit immorari, quod pœnitentias quæreret, non indulgentias. In Galliam vt rediit, ſacra conſcendere pulpita, in Noſcomia deſcēdere, extinguere odia, corda Diuino amore incendere, vitiis bellū indicere & dęmonibus: pios viros adſciſcere ſibi ſocios, quibus ad tredecim auctis, in [7] Præmonſtrato, præmonſtrato ſibi olim loco à Bartholomęo Laudunenſi pręſule, ſacrum erexit ordinem, tam veſte quàm moribus candidum, quē vt probaret Romana ſedes, vrbem adiit, poſtquam vitæ comitem adiunxiſſet ſibi [8] Godefridum Comitem Cappenbergenſem, idémque facere meditanti Theobaldo Campanię Comiti piè obſtitiſſet: tot Comites ha-

bere noluit. ne aliquando haberet duces. Huic verò cum ſponſam quærit, ſibi inuenit, quam nec quærebat, nec cupiebat, [9] Parthenopolitanam Eccleſiam. Spiræ enim electus corã Imperatore Lothario, & à Legato Pontificio iuſſus obtemperare, ad Saxones perrexit, ſub veſte candida ouem tegens, aut paſtorem, aut vtrúmque. Vbi ouile [10] ingreſſus eſt, lupos eſt aggreſſus, aut rerum Eccleſiaſticarum raptores: qui poſita præda, apertis faucibus multos in Epiſcopum dederunt vlulatus, ſed inanes. Terrenos non timet lupos, qui tartareos fugat canes ſola in Deum tectus fiducia, non ſolùm lædi non potuit, ſed & [11] arma ſine armis, priuatim & publicè, ex eorum manibus excuſſit: Quid ſi dexteram armaſſet potentia, qua febres è corporibus, Tanchelinum Antuerpia, Petrum Leonem Roma eiecit,

quantis attriuiſſet cladibus? vbi cedit leo quid poteſt lupus? Quod araneã tam intrepidè quàm impunè è ſacro ebibit calice, liquidò probauit potentiſſimum eſſe ſub pectore pharmacũ, ſanctitatem: & magno animo nocere non poſſe paruum hoſtem. Si ab ann. 1134. quo [12] deceſſit, ad an. 1627. apud ſuos delituit [13] Magdeburgenſes, ex eo tempore quòd tutela abfuit, cæde & ignibus perierunt, vt diſcant vel hæretici, Sanctorum venerari exuuias & eorum precibus, imminentes ſibi flammas deprecari.

NOTÆ.

1 IN *aulâ.*] Henrici Iunioris Imp. & Frederici Archiep. Colonienſis.

2 *Francorum.*] Ita Hugo, eius in Monaſterio ſucceſſor.

3 *Auſtraſius.*] Ex municipio Xainte, olim Traiana colonia dicto, à Traiano Imp. non Troia, vt malè vulgus exiſtimat. *Ex Steph. Piglio & Miræo ad 6. Iunij.*

4 *Inter Monachos.*] Sigebergenſes.

5 *Sacerdotium.*] A Frederico Colonienſium Archipræſule collatum.

6 *Pontificem.*] Gelaſium II.

7 *Præmonſtrat.*] Gall. *Premonſtré*, in Diœceſi Laudunenſi, *De Laon.*

8 *Godefridum.*] Vveſtphalum, qui caſtra ſua mutauit in cænobia.

9 *Parthenopolit.*] i Magdeburgenſem.

10 *Ingreſſus.*] Nudis pedibus, & tam humili ſchemate, vt oſtiarius palatij Archiepiſcopalis aditu eum prohibere voluerit, quòd mendicum eſſe putaret.

11 *Arma*, &c.] Illius præſertim, qui ſub pœnitentis veſte gladium abſconderat, vt Norbertum occideret, at eo viſo, animum detexit & gladium, & tunc quod videri voluerat apparuit, pœnitens.

12 *Deceſſit.*] Die 6. Iunij.

13 *Magdeburg.*] Qui expetente Ferdinando II. ſacras Norberti exuuias, ſua vrbe efferri permiſerunt.

Ex Hugone Abbate Præmonſt. S. Norberti ſucceſſore.

SANCTA AGNES ordinis Præmonſtrat.

NON immeritò ſub [1] candido vides vellere hanc principem fœminam, Ouis fuit & Agnes dicta, quòd ab Agno moribus non differret. Aureo vellere ſuperba incedere potuerat Dynaſtæ potentiſſimi filia, & Campaniæ Gallicæ Seneſchalli [2] coniux, ſed igniuomonos timuit habere cuſtodes tauros. Potuerat & holoſericis ornari veſtibus, ſed poſt pium à marito diuortium, quo ille ad Clareuallenſes aſcetas, hæc [3] ad Præmonſtratenſem acceſſit Parthenona, carnem tegi noluit à vermibus, quam vermes eſſent aliquando voraturi. Lanam maluit & candidam, vt ouem præſtaret ſe, aut

Chriſti paſtoris ſponſam, cui dotem attulit auri vim non modicam, & prędia, quibus bina monaſteria conſtrui curauit. Eidem & filium genuit, quem mundo pepererat primogenitũ, *Guidonem nomine, is enim, aſſentientibus vxore ſua Adelarde & filia Agnete (quæ poſtea Roberto nupſit Diocarum Comiti, Ludouici Regis ſeptimi germano, Præmonſtrato ſe addixit, in infima fratrum laicorum forte. Religioſum ſic ingreſſa cœtum Agnes, breui perfecta fuit, quòd ante datum ordini ſacro nomen, tyrociniũ in Xenodochio poſuiſſet, nimirum domi ſuæ, vbi dormientibus ſeruis & ancillis, ſæpe fuerat famulata, & pauperibus, quos exceperat hoſpitio, viliſſima quæque præſtiterat obſequia. Semel tantùm in diem corpori ſuo cibum, eúmque parciſſimum, animæ verò ſuæ perpetuum oratione mini-

ſtrabat, cuius ope eò prouecta eſt ſanctitatis, vt nulla in re vnquam gloriata ſit, quàm cilicio & cinere. In quo piiſſimè fecit nobilis, quod vaniſſimè, nobiles ſolent, veſtem gloriata eſt & originem.

NOTÆ.

1 C*andido vellere.*] In veſte candida, vt Præmonſtratenſes ſolent.

2 *Coniux.*] Andreæ de Baudiment, Domini Branenſis & Faræ, *Brene & la Fere en Tardenois.*

3 *Pramonſtraten.*] Antequam tranſiret ad cœnobium Fontanellæum, cum aliis Sanctimonialibus, quæ degebant præmõſtrati, in Parthenone.

4 *Guidonem.*] Toparcham Branæ & Farę. Animam Deo reddidit pridie Cal. April. 1149.

Ex Chronico Comitum Branenſ.

S. IOANNES DE MATTA Trinitarius, ſeu ordinis Sanctiſſ. Trinitatis de redemptione captiuorum inſtitutor.

A PROVINCIÆ Phocenſis mõtibus, in quibus [1] natus eſt puer nobilis, ad [2] Aquas Sextias miſſus, vt ſcientias ebiberet, ſciendi ardorem non extinxit ſed accendit, quoad Lutetiam Pariſiorum ad ſcientiarum fontem venit, vbi poſt extricatos ſummo ingenij acumine Sacræ [3] Theologiæ nodos, ad alios acceſſit diſſoluendos. Illi enim primùm [4] ſacris operanti adſtitit Angelus, cum captiuis duobus, ad quorum vincula ſoluẽda tacitè inuitatus, ſeipſum primò, vinculis exemit ſæculi, vt à ſuis vincula ſoluere diſceret aliena. Sed

Anachore

Anachoreticam aliquandiu profeſſus vitam,cum B.Felice Valeſio, in agro Meldenſi, ab otio ſacro, ſanctum auſpicatus eſt laborē,ad quem à Ceruo, varij coloris crucē inter cornuà gerente, ſecūdo inuitatus,Romam acceſſit & Summum Pontificem,à quo in ſacrum ordinem (quem à ſanctiſſima dixit Trinitate) ſocios ad legendi, & aurum quo ferreos captiuorum frangeret compedes, à piis corrogandi, accepit facultatem. Ab eodem item [5] candidâ donatus eſt veſte,vt Mauros inter,aut mortales dæmonas, onuſtus auro virtutum hoſte, morum & animi tenax eſſet candoris; redemptioníſq; noſtræ munitus eſt ſigno, vt redemptionis incūberet muneri,& medios inter barbaros,palam profiteretur cui domino militaret. In[6] Galliam redux,poſt excitatas aliquot ordinis ſui [7] domos, in[8] Africam aduolát,vbi au-

reâ luce, tenebras diſcutit Captiuorum, qui à barbarica ſeruitute, in libertatem aſſerti filiorum Dei, Saracenorum exuuit quâ dirè vexabantur crucem, & Chriſti ſalutarem amplectuntur. Hac ſignati in Galliam. imò & Romam à pio ſuo redemptore, nauali triumpho deportãtur, adeo fauente cœlo, vt aliquando ſex horis, Tuneto Romam, oculos in cœlum defixus peruenerit. Benè nauigat qui ſemper Cœlum obſeruat: ſed anno, poſt erectum ordinem, decimo ſexto, emenſo huius vitæ pelago, ad Redemptorem & liberatorem ſuum Chriſtum, per mortem euocatus piiſſimus captiuorum redemptor, in beatitudinis æternæ portum incolumis appulit, ann. à Chriſto nato 1213. die 21. Decemb. non priùs tamen quã à Chriſto ſui obitus diem didiciſſet, & quantum Europæ ſuis contuliſſet

laboribus. Ante mortem, vbi Sepulchrum ſuum aperiri iuſſit, (in quo pœnitentiæ ſuæ arma voluit concludi) oculos ſociorum ſuorum aperuit, & ſoluit in lacrymas, ſed longè magis vbi ipſemet ſoluit, & à terra receſſit. Nam præter cilicium, quo armatum vndique viſum eſt ſanctiſſimum eius cadauer, catena ferrea, quæ illius rentes arctiſſimè complexa fuit, ex omnium oculis aquas traxit copioſiſſimas. Ab eo tempore, diebus quatuor manſit inſepultus, nec de illo dici potuit, quatriduanus eſt, iam fœtet; nullus enim ex eius corpore fœtor erupit, quin potius ſalutiferum fluxit oleum miſericordiæ, quâ ſemper affluxit, ſymbolum.

Mortuo tumulus mons Cœlius fuit, quòd virum toti orbi ſuſpiciendum decerent montes, naſcentem & morientem.

NOTÆ.

1 N*Atus.*] Falcone, ad alpes Prouinciæ Phrocenſis, ex patre Eufemio & matre Martha Maſſilienſi nobilibus, anno 1154.

2 *Aquas ſextias.*] *Aix en Prouence*, Vbi Grammaticæ, Rethoricæ, & Philoſophiæ ſtuduit.

3 *Theologiæ nodos.*] In publico certamine Theologico, vbi doctor eſt renuntiatus.

4 *Sacris primùm operami.*] Præſentibus Mauricio de Soliaco Pariſienſi Antiſtite, & Abbatibus Sanctæ Genouefæ & S. Victoris, in ſacello Epiſcopali.

5 *Candida veſte*, &c.] Innocent. III. Pontifex Maximus BB. Ioannem & Felicem candidis veſtibus, cruce ſignatis induit, ordinem confirmauit, ſuíque Pontificatus optimas appellauit primitias.

6 *Galliam.*] Et Regem Philippum ſecundum adit.

7 *Domos*] Prima erecta eſt, vbi pœnitentiam egerat, in agro Meldenſi, quæ dicta eſt ceruus frigidus, à ceruo quem olim ibi viderat.

8 *In Africam.*] Tunetum.

9. *In Beatitud. æternæ*, &c.] Multa quæ fecit poſt mortem miracula hoc teſtantur. Ea autem contigit anno 1213. die 21. Decemb,

Ex Scriptionibus Iconum huius Sancti, apud PP. Trinit. Metenſes,& ex P.Stephano Bineto, in libello de ſanctis Sacrorum ordinum Patriarchis.

LILIORVM
SEV
FLORVM GALLIÆ SANCTÆ
PARS ALTERA
DE LAICIS.
CAP. PRIMVM.
PROCERES ET NOBILES.

S. CAROLVS MAGNVS Rex & Jmperator.

IN breui charta Magnum damus nomine, & corpore, animo maiorem, pietate ter Maximum. Is eſt Carolus Pipini Breuis

magnus filius, Dauid Gallicus, Imperij Occidentalis Conſtantinus, Diuorum cultor, Imperatorum Coryphęus, Regum gloria, Clypeus Romanorum Pontificum, Saxonum [1] armatus Apoſtolus; quem tres orbis partes coluerunt viuum, & magnum in omnibus dixerunt: [2] Quarta ſi neſciit, neſciebatur ipſa, cui non incognitus fuiſſet, ſi fuiſſet illi nota. Eum inquam pingimus, qui Ioue melior, Aquilis ſuis vſus eſt, non ad fulmina ferenda, ſed ad Chriſti ſigna barbaris inferenda gentibus, Saxonibus, Saracenis, & Mauris Hiſpanis. Vix enim vnquam bellum ſuſcepit Mars ille Chriſtianus, niſi pro reſtituendis in ſedem, & res ſuas Romanis Pontificibus, aut pro fide propaganda. Illos, ac præcipuè Leonem III. (à quo defenſo maior extitit, quàm ab alio à ſe [3] occiſo Pipinus pater) fecit Maximos, temporali

poteſtate: nam [4] quæ poſſident, maiori ex parte, aut dedit, aut reſtituit ab hoſtibus bello recepta. Pro fide verò 33. annis in Saxones pugnauit, quos toties victor, ſub Chriſti iugum tandẽ miſit, & aquis ablui curauit Chriſtianis, dum eorum idola flammis dedit: imprimis [5] Irminſulam caſtro munitiſſimo Ereſburgo incluſam; in cuius expugnatione cùm ardenti periret ſiti Caroli exercitus, repentinas mons vicinus [6] aquas profudit, quæ cùm ardorem extinxerunt corporum, incenderunt animorum. Huius fidei gratiâ, ſuperatis Pyrenæis montibus, Saracenos totâ compulit excedere Hiſpaniâ, quam Chriſtum iteratò colere docuit ſecundus Apoſtolus, priori quidem par agnomine, quo dictus eſt Magnus, ſed in eo maior magno, quòd maiores pro fide in Hiſpania fecerit progreſſus. Quem autem fidei

zelus dedit Hiſpanis Apoſtolum, dedit & Italiæ peregrinum. Illum enim quinquies in vrbem pietas adduxit & pontificum amor, vti [7] oſculis prodidit, quæ eorum ſacris dedit pedibus, & gradibus ſingulis Romani templi. Manum item, quæ longa eſſe debuit regi, & Magno, in Syriam vſque extendit, quò inopes ſubleuaret Chriſtianos: ſed quàm longè in pauperes protulit, tam altè in ſacra extulit [8] ædificia, quę plurima & ampliſſima cōſtruxit, eáque ornari curauit decoro [9] cantu, conſoníſq; Sacerdotum [10] moribus. Tandem quâ inopes aluerat manu, codices ſcripſerat ſacros, & tēpla diuino poſuerat Numini, eâdem moriens ſcripſit hæredes ſuos, omnes Galliæ diœceſes ac pauperes. Heu quanti fit ſanctitas, ſi tanti non emitur? Impegit quidem vt [11] Dauid, ſed quem ſecutus fuerat peccantem, pœ-

nitentem pręceſſit. Cilicio enim Rex
& Imperator ſeptuagenario maior,
quæ peccauerat carnem induit, vt ſti-
mulis ſtimulos reponeret; orationi-
bus, ieiuniis, piiſque lectionibus incu-
buit ad vltimum vitæ diem, quo, ex
eius præſcripto, peregrinationum ſua-
rum indutus inſignibus, & ſepulchro
conditus piiſſimus peregrinus, non
Romam, ſed Ieroſolymam adiit, eám-
que cæleſtem. Quòd enim hæredem
ſcripſiſſet Chriſtum, ſuum viciſſim
ſcripſit Chriſtus, nec propter pecca-
ta, quæ lacrymis deleuit & pœniten-
tia, ab regno ſuo excludere voluit eũ,
qui introduxerat in ſua. Hoc teſtantur
reſtituti cœcis duobus oculi, quibus
vidit orbis immenſam Dei miſericor-
diam, & Caroli in Cœlis poteſtatem.
Quare ſi [12] de conſenſu Eccleſiæ, tem-
pla nunc habitat, quis iniquo ferat
animo? Templa, meretur, qui tam

dum ordinem & tempus fundationis, attribuit. *Miræus in faſtis Belgiæ.*

8 *Oſculis,* &c.] Accedens primùm in Vrbem, tempore Adriani papæ, vbi venit ad gradus templi D. Petri, omnibus fixit oſcula, & tandem Pontificis pedibus, qui eum præſtolabatur in ſummo gradu.

9 *Cantu.*] Quem vt conformem Romanis haberent Gall. canendi peritos Româ accerſit.

10 *Moribus,* &c.] Eo fine Concilia curauit plurima, ſed præcipuè quinque, paucis ante mortem annis: Moguntinum, Remenſe, Turon. Cabillon. & Arelaten.

11 *Vt Dauid.*] Plures habuit Nothos.

12 *De conſenſu,* &c.] A Paſchali quidem pſeudo-Pontifice Catalogo Sanctorum inſcriptus eſt, ſed legitimi pontifices, eius diploma non impugnarunt: vnde ſcribunt Cardinalis Oſtienſis, & Ioan. Andreas, nec non Cardin. Baron. tacitâ permiſſione, & tolerantiâ Romanæ Eccleſiæ, coli *V. Baron. t. 9. ad ann.* 814. *n.* 63. *quo anno ad cœlites tranſiit, die* 23. *Ian.*

Ex vita eiuſd. Imp. per Monach. Engoliſm. Item ex alia operib. Ribad. Adiuncta & hiſt. Gall. Scipionis Dupleix.

LVDOVICVS PIVS Rex & Imperator.

[1] Hic inter pios pro iure ſuo adſcribi debet cum duobus ſequentibus, ſi nondum inter Sanctos.

[1] MAGNI parentis non minor filius, & paternæ indolis hæres pius, tantę hęreditati addidit, cùm vitia detraxit. Nulla enim habuit, niſi virtutes: quarum aliquæ communem excedentes modum, prauis & iniquis oculis viſæ ſunt portenta, ſed digna quæ parerent miracula. A puero ſenex, puerile nihil habuit præter corpus & annos, per quos à parente Rex Aquitanis datus, [2] Ius dixit vt Salomon, [3] pugnauit vt Dauid, [4] Templa poſuit, & aſceteria Sacra, vt Apoſtolus; quibus & ſeipſum abiecta corona [5] deuouiſſet ex pieta-

te, niſi contrà obniſus pater, mundū, quem proculcare pedibus meditabatur Ludouicus, manibus geſtandum dediſſet. Ad Imperium & Regnum euectus, poſt eiectos ex aula [6] Venerem & Cupidinem, quibus locum inter Lilia, & Aquilas non putauit eſſe idoneum, Duplici diademate virtutes omnes in capite ſuo coronauit. Præcipuè verò pietatem, quâ Deum, Beatam Virginem, & Pontifices Romanos ita coluit, vt Deo, Cor, Oculos Virgini, Pontificibus Romanis manus conſecrarit. Tam enim Deum exarſit, vt in oratione, pio ſæpe maduerit imbre, & diutiùs immoratum fuiſſe, vitio ſit datum: Tam Virginem Matrē dilexit, vt in oculis, eius [7] icunculam, quam ſecum, quocunque pergeret, curabat deferri, ſemper habere voluerit: Tam Pontifices Max. obſeruauit, nihil vt vnquam illis eius de-

negarit manus, quin potius immenſis auxerit [8] largitionibus. Quare nil mirum ſi perſecutiones ſit paſſus grauiſſimas, piè volebat pius in Chriſto viuere. Bis illum exauctorârunt impiæ [9] filiorum & coniuratorum manus, & ab eius capite coronam detraxerunt: Bis illum [10] reſtituêre Sacræ, & nouas impoſuere coronas virtutes ſuæ, [11] lenitas & conſtantia, quæ iniurias ab hoſtibus illatas, beneficiis & muneribus vindicarunt. Quadraginta ſex ante mortem dies, nullum alium admiſit cibum, præter Sanctiſſ. Euchariſtiæ Sacramentum, vt eo ſolo veſceretur, cui ſoli viuebat Chriſto; ſub quorum finẽ, eum luxit Sol, cùm non luxit [12] eclipſim paſſus, at contrà moriens Ludouicus, fecit quod in ſcena ſpectator, peractâ fabulâ lepidiſſimâ, quod in portum eiectus tempeſtate nauta, [13] riſit. Quis autem riſum

teneat, tot & tantis defunctus periculis, & in æterna iam iam penetraturus gaudia? Si periiſſet non riſiſſet.

NOTÆ.

1 M*Agni.*] Caroli.

2 *Ius dixit.*] Ter ſingulis hebdomadis iudiciis præerat, vt viduarum, pupillorum, & pauperum cauſas audiret.

3 *Pugnauit.*] In Hiſpania contra Saracenos, quos multis vicit præliis, & eorum expugnauit vrbes.

4 *Templa & Aſceteria.*] Multa ſunt ab eo in Aquitania reparata, imò & à fundamentis ædificata Monaſteria. *Aym. l. 5. c. 8. & vita Ludou. à Coætaneo ſcripta.*

5 *Deuouiſſet.*] Paternum Aui Carolomanni imitari geſtiens memorandum exemplum, ipſe quoque Theoricæ vitæ culmina nitebatur comprehendere, inquit Author vitæ Lud.

6 *Venerem.*] Antequam ingrederetur palatium Aquiſgrani, miſit qui aulicos impudicos expellerent, regiis puellis abutentes.

7 *Icunculam,* &c.] Vnde accidit vt in venatione orare cupiens, B. V. imaginem, quam eius ſacellanus deferre conſueuerat, arbori iuſſerit affigi, ſed abſolutâ oratione, equum ſubitò con-

ſcendit ſacellanus, immemor icunculæ, quoad poſtridie iterum regi proponenda fuit. Redit citus ad locum in quo reliquerat, refigere conatur, nec valet; cuius miraculi certior factus Lud. & in ſomnis à Deo monitus, vt eodem in loco Templum conſtrueret, paruit, & Hildeshein eſt vocatum. *Ex Albert. Crant.* 310. *l.* 1. *Metropol c.* 10.

8 *Largitionibus*] V. apud Card. Baron. ex Vaticani monumentis. ad ann. 817. n. 10. & 11. Scip. Duplex in Lud. p. 425.

9 *Filiorum manus.*] Primò Lotharij & Pipini: Secundò Lotharij, pipini, & Ludouici.

10 *Reſtituère ſacra.*] Epiſcoporum, apud S. Dionyſium, & Theoniſvillæ, vbi à 7. Epiſcopis recitatæ ſunt orationes ſupra Lud. Imp.

11 *Lenitas.*] Etiam erga rebelles, & peduellionis reos.

12 *Eclipſim.*] 6. Maij 1. poſt meridiem hora.

13 *Riſit.*] Intuens Cœlum, nihilo à ridente differe videbatur.

Mortuus eſt anno 840. die 12. Cal. Iulij.

Ex vita à Coætaneo ſcripta & aliis Gall. hiſtor.

LOTHA

LOTHARIVS Pœnitens.

POENITET Lotharium Imperatorem, Ludouici Pij filium, tam malè ſuis imperaſſe ſubditis,[1] ſibi peius obediuiſſe: Poſt tot iræ, libidinis, & bellorum ignes, quibus exarſit, quærit cineres, vt ſordes ſuas eluat, maléque ſano capiti faciat lexiuium. Sceptrum ponit & poteſtatem, cui parem non habet manum: Coronam, ne quod virtuti tribuendũ erat, vitiis daret, ſi coronarentur. Aulam Cœnobio mutat[2] Prumienſi in Ardẽnæo Saltu, vbi poſthac illi[3] Dapifer erit ieiunium: à Cyathis oculi, à ſecretis Sacerdos: ab eleëmoſynis manus. Enſem, ſed quem timeat, portabit timor Dei: purpuram, pudor:

baltheum caſtitas : calcaria ſyndereſis. Imperij fines definient contracti tugurij , aut domunculæ anguſtiæ. Bellum illi nullum in poſterum erit, niſi in ſeipſum : venatio nulla , prætérquam in animi feras paſſiones. Si Aprum mactet,ira erit : ſi ceruum,ingenij leuitas : ſi leonem,ſuperbia. Deambulationes per Cœli ſpatia,quoad mors è Cœnobio in aulam iterũ vocet , ſed cœleſtem illam & æternam. O amantiſſimam Dei in homines benignitatem ! O miſericordem ! Reliquum vitæ tempus , nempè annum vnum, ſic viuit Lotharius in ea quam ſibi elegit aula ſilueſtri , vbi aulicos habet cælites & Angelos , vt inter illos adſcribendus nonnullis videatur. Ad quod ſi quis miracula expetit,nũ ſatis magna ſunt , Imperatorem alienis paruiſſe imperiis, imperaſſe ſibi ? Aulam eremo mutaſſe, cucullo pur-

puram, coronam auream, abraſo in orbem pilo? Ad tanta prodigia, digito Dei opus eſt, aut potentiſſimâ ſancti Viri dexterâ. Quàm multi Lotharium [5]ſecuti ſunt Imperatorem, monachum verò, & pœnitentem, quàm nulli aut pauci? An quia Imperatorem decet ſequaces habere multos, pœnitentem aut monachum nullos? Errant, non omnem hic dimiſit comitatum, ſequi poſſunt.

NOTÆ.

1 *Sibi obediuiſſe.*] In patrandis multis ſceleribus ante Imperium, & in Imperio, præcipuè impietate erga patrem.

2 *Prumienſi.*] Prumiæ, Monaſterium apud Ardennates, Treuirenſis Diœceſis.

3 *Dapifer,* &c.] Officiales Palatini.

4 *Adſcribendus,* &c.] Arnoldo Vvion in ligno vitæ, qui eum Sanctum vocat.

5 *Secuti ſunt.*] Peccantem.

Viuere deſiit anno 855. die 3. Cal. Octob.

Ex Vvion. Menard. Martyrol. Benedict. & Reginone Abb. Prumien.

CAROLVS CRASSVS Jobus Gallicus.

IN eo [1] Carolus Iobo par fuit, quòd ęquè infracto fuit ad omnes caſus animo, ſed in eo maior, quòd miſerior. Ruit ille à florentiſſimo vitæ ſtatu ad inopiam; hic à ſupremo Imperij & regni faſtigio ad infimam hominum ſortem, & tantam egeſtatem, vt ſæpe quotidiani victus ſenſerit penuriam, oues ille perdidit & armenta, hic populos & regna. Amicos [1] ſaltem ille ſeptem reliquos habuit, hic vnum tantùm, aut alterum, Luitpertum Moguntinum Archi-præſulem, & [2] Arnulphum, ſuum ex fratre nepotem, qui ſtipem porrigerent omnium mortalium miſerri-

mo. Morbis conflictatus, vix ille corporis functus eſt muneribus, hic verò ita oculis captus eſt, vt ne vnum circa ſe videre poſthac potuerit aulicum: tam fractis manibus, vt ſceptrum tenere non potuerit; tam nullo capite, vt ex illo [3] tres exciderint coronæ. Liberos amiſit ille, hic quos per [4] caſtitatem habere noluit. Vxorem habuit Iobus peſſimam, hic ſanctiſſimã amiſit: Venit in ſuſpicionem violati ab ea tori, diem illi dicit, libellum repudij porrigit, & Imperij fœlicitati. Nam abeunte illâ, abeunt & pereunt Carolo omnia, præter ipſum. Ab eo diſcedunt Galli, auolant aquilæ, & Carolus è Gallis [5] finem imponit Imperio, cui Carolus fecerat initium; quod ſtruxerat Magnus; deſtruit Craſſus, virtute patiendi tam nobilis, quàm ille agendi. Pellitur ex aula qui vxorem expulerat, purpura indutus, pu-

dore; vmbra comite & [6] egeſtate. Quid multa, elapſo è manibus, quem geſtabat, mũdo, vna crux illi ſupereſt, ſed quam adorat & oſculatur; ſuadente enim pietate, [7] æquo fert animo, Diuinæ prouidentiæ adſcribit omnia, orationi incumbit conſtanter, veniam à læſo poſcit Numine, & gratias pro inflicto vulnere habet immortales. Eâ iactatum tempeſtate, ad beatæ fœlicitatis portum appuliſſe coniicere poſſumus, cùm poſt nubila Cœlum illuxerit, & mortuo arriſerit Carolo, quẽ non atrata veſte vt mortuum, ſed luce veſtiit, vt eum lucis agnoſceremus filium. In corpus demortui filij nonne ſolet mater affundi?

N O T Æ.

1 *CArolus Craſſus.*] Rex & Imp. filius Ludouici Germanici.

2 *Arnulph.*] Filium Carolomanni Regis Bauariæ, quem elegerant Germani in Regem ſuum, cùm de Imp. eligendo litigarent Itali.

3 *Tres Coronæ.*] Imperalis, Gallica, & Longobardica.

4 *Caſtitatem.*] S. Richardi in vxorem ſuam, quacum 12. annis vixit, intactam dimiſit,

5 *Finem imponit*, &c.] Carolus Craſſus dici poteſt vltimus Imperator Gallus, ſi legitima ſeries attendatur. Nam Arnulphus eius ſucceſſor notus fuit, cui filius ſuus Ludouicus ſucceſſit, Ludouico eius cognatus Conradus, qui à multis Gallis Gallus non cenſetur, licet alij vltimum ex proſapia Caroli Magni aſſerant. *Vvasburg. t.* 20.

6 *Egeſtate.*] De qua ſic loquitur Chronicon Lorishimenſe; miſerandâ rerum facie, Imp. poſt Carolum Magnum nulli poſtponendus, egenus efficitur, adeo-vt deſperatis rebus, non iam de regno, ſed de victu cogitaret, &c.

7 *Æquo fert animo.*] Regino ad ann. 887. lib. 2. Chronic. ſic teſtatur, fuit hic Chriſtianiſſimus princeps, Deum timens, & mandata eius ex toto corde cuſtodiens; Eccleſiaſticis Sanctionibus deuotiſſimè parens, in eleemoſynis largus, &c. Quod autem circa finem vitæ, dignitatibus nudatus, boníſque omnibus ſpoliatus eſt, tentatio fuit, vt credimus, non ſolùm ad purgationem, ſed quod maius eſt, ad probationem: ſiquidem hanc vt ferunt, patientiſſimè tolerauit, in aduerſis ſicut in proſperis Gratiarum vota perſoluens.

Primus item annos per æram CHRISTI, ex pietate numerauit. *Auentin. l. 4. Annal. Boiorum.*

Ex vita S. Richardis in Bauaria Sancta Raderi, & antiq. ſacris Voſagiæ 3. p. l. 1. c. 10.

BEATA AGNES *Auguſta.*

BEATA [1] Agnes Auguſta, tam digna Imperio, quàm meliore filio, Henricum Imp. huius nominis quartum genuit, orbis facem; non quæ benignis illuſtraret radiis, ſed quæ infeſtis incenderet ignibus. Hunc [2] cùm ferret vtero, immanē geſtare ſibi viſa eſt draconem, quem licet horruerit innocens columba, natum tamen fouit vt mater, lácq; præbuit, quo, ſi poſſet candorem eius ani-

mo iniiceret, aut ne per incuriam malæ educationis, futuro draconi propinaret venena. Ab eo vbi amota eſt per [3] proceres, coronam de capite poſuit, & ad caput acceſſit Imperij, Romanam vrbem; [4] Auguſtæ aptiſſimũ, & pietati, (quod cupiebat) colendæ locum. Ibi quem impugnauit [5] Pontificem filius, coluit mater, in ſedem Apoſtolicam tàm propenſa, quàm infenſus ille; & maiorem lacrymarum vim profudit ex pietate, quàm ille ex immanitate fudit ſanguinis. Quæ Suſanna fuerat nupta, dempto capite, aut altera ſui parte marito, Anna fuit vidua. In templis tam frequens, vt ſacra templa in eius ædes mutata viderentur: In priuatis ædibus tam pia, vt templum eſſe crederentur. Lanâ ſemper veſtiebatur, quòd ouis eſſet; & quicquid habebat auri, gemmarum, & ornamenti, in aras coniiciebat, vt in iis

vanitatem mactaret, & immaculato litaret, quem colebat, Agno. Ieiuniis autem ſic addicta, vt mediis in epulis, nihil illi præter famem, ſaperet, eò magis dilatans animam, quò contractiorem faciebat ſtomachum. Viginti ipſis annis, quibus Romæ fuit, imperauit nemini, niſi ſibi; ſummo verò obediit Pontifici, piiſque Diui Petri Damiani monitis; quo authore & principe, licet abieciſſet, omnia, tulit multa: ſed illa per contemptum pium, hæc per ſtudioſam tolerãtiam; quoad tandem ad culmen prouecta virtutum, præter alas, quas magno eius addidit animo Sanctiſſimus ille Cardinalis, Aquilis in Cœlos ſubuecta eſt, quas pedibus proculcauit, tibíque dedit, ô Roma, nouam ſpectare AVGVSTÆ apotheoſim.

NOTÆ.

1 A*Gnes.*] Guillelmi Pictauorum Principis filia, quæ ſolemni nuptiarum die, hiſtriones, moriones, & omne genus ridiculorum à regia proſcripſit.

2 *Ferret vtero.*] Ad annum 1051.

3 *Proceres.*] Inuidos, quòd operâ, & conſilio vteretur Henrici Auguſtani Antiſtitis, viri ſapientiſſimi.

4 *Auguſtæ.*] Quia Romanorum Imperatrix.

5 *Pontificem.*] Miris modis Pontifices Maximos vexauit, & ab iis anathemate perculſus eſt. Sedente Gregorio VII. deceſſit 14. Dec.

Ex Bauaria ſancta Raderi.

S. RICHARDIS *Auguſta.*

NON fruſtra niueum fuit Richardi corpus, quæ tela omnia Cupidinis ignea, ita extinxit, vt [1] Virgo permanſerit. Non fruſtra niuea fuit manus, cùm [2] candens ferrum impunè tractare potuerit, & ſanctæ [3] Cunegundis inhærere veſtigiis. Carolo Craſſo nupſerat, Imperatorum in Occidente Gallorum poſtremo, nulli tamen poſt Carolum Magnum poſtponendo: quo-cum duodecim annis Virgo vixerat, vt lilium cum lilio, cùm ecce tibi leuiſſima de cauſa Auguſto ſuboritur ſuſpicio, de violato ab ea toro, cum [4] Vercellenſi Antiſtite. Pungunt illum diu noctú-

que, vani curarum aculei, nec partem quietis capere ſinūnt, quoad diem illi dixerit, coram Imperij Proceribus. Adeſt vocata Richardis in iudicio, à qua, ſic dicit[5] innocentia, vt ſingulari certamine, aut candenti ferro profiteatur ſe cauſæ ſuæ ęquitatem probaturam. Sed eo certamine nō̄ vincitur Imperatoris animus; nec ferri ſtare iudicio acquieſcit, quòd timeat, ne ſi faueat Richardi, æternam ſuo nomini adurat infamiæ notam. Vná vult audiri ſuſpicionem, quâ teſte & iudice, Auguſta pellitur ex aulà. Cum Richarde abeunt & diuitiæ, cum Virgine Lilia, ſeu Gallicum quod ſtatim Carolus amittit Imperium. Auolant & Imperiales aquilæ, quòd cum eo diutiùs aues generoſiſſimæ morari nolint, qui Cuculus haberi velit. Relictis ergo aquilis, pennas aſſumit columbæ Auguſta, & in[6] mon-

tem ſanctæ Othiliæ aduolat, vt in eo monte, altioris vitæ & ſanctitatis accipiat elementa; à quibus apprimè parata, [7] in fundo proprio, ſacrum Parthenona extruit, ad radices Vogeſi montis in Alſatia, ſignante locum viſo. Vbi enim regeri videt ab vrſo humum, ibi cœlitùs edocta fundamenta iacit ſacri ædificij; quo ad Colophonem perducto, ſocias ſibi adlegit Virgines, Regis Virginum ambientes torum; à quibus in Antiſtitam electa, quæ ſemper Virgo permanſit, egregiè erga omnes, affectu & virtutum exemplo, matrem ſe eſſe comprobauit.

NOTÆ.

1 *Virgo.*] Etiamſi 12. annis in matrimonio vixerit.

2 *Candens ferrum.*] Quo innocentiam ſuam & virginitatē probaret, contra Imp. ſuſpiciones.

3 *Cunegundis.*] Quæ vt caſtitatem ſuam, marito ſuo Sto. Henrico Imp. huius nominis intactam oſtenderet, per ardentes vomeres ambulauit illæſa.

4 *Antiſt. Vercellenſi.*] Luithardo vel (vt vocat Regino) Luitvvaldo.

5 *Innocentia.*] Herm. Contractus aſſerit diuino iudicio ipſius virginitatem eſſe comprobatam.

6 *Mont. S. Othilia.*] In Alſatiam.

7 *Fundo proprio.*] Alij Scotam, aut Hibernam, alij Hiſpanam, alij Alſaticam eſſe affirmant. Magis eſſentior Reginoni, qui ex Alſatia oriundam eſſe putat, ibíque condito Parthenone Andelo, anno 889. vixiſſe.

Cœlitum faſtos auxit, anno 890. 13. Sept.

Ex Bauariâ Sancta Raderi,
& Sacris antiquit. Voſagiæ.

S. [1] SIGEBERTVS Rex.

QVOD primum ex ore depromſit verbum, miraculum fuit, cùm 40. dierum puer, ſacra baptiſmatis verba Pronuntianti Epiſcopo D. Amando, tacentibus omnibus, Amen ſubiecit. Quid mirum ſi adultus, aut denatus tanta fecit quæ miramur [2] prodigia, qui tantum fecit vix natus? Si Auſtraſiæ ſceptrum à Dagoberto parente conceſſum, ibimulus geſtauit aut trimulus? Gerendo ſceptro idonea non ſit manus, cuius lingua loquitur miracula? Si [3] aulam habuerit Rex Sanctam, à fonte Sacro Amandum, à conſilijs [4] Pipinum, & [5] Cunibertum, Diuis adſcriptos? Regem Aulici num ſequi ſolent? Si

Si Templa Numini poſuerit pluſquã duodena. Quid potiùs quàm [6] Templa dare debuerat viuum Numinis Templum? Si templis immorari conſuetus & orationi? Si Sacerdotibus ibidem vir perfectus concinere, qui accinere nouerat à puero? Si [7] Pſaltæ regi tam ſtuduerit, quàm illius exhorrureit [8] caſum, quẽ omnibus regibus menti perpetuò obuerſari debere ſolitus erat dicere, non oculis ſpectare, tot pectore nudas Berſabæas: à quibus quòd ſibi tam prudenter cauerit, non eſt quod ſtupeat quiſquam quingentos & viginti vnum annos Sigebertum in ſepulchro manſiſſe incorruptum! Non abit in cineres corpus, quod non ſenſit ignes, aut ſi ſenſit, illicò extinxit. Morti proximus, ſacras Martyrum hiſtorias ſibi prælegi, & Dauidem alternis pſalli choris imperauit, quos inter, non ægrè auulſa à

corpore anima, quòd illi tenaciter nõ adhæreſceret, nullo dato langoris iudicio, [9] ad ſuperos migrauit, vt ſuo nos doceret exemplo, Regiam eſſe, quam querimur arctam ad Cœlos viam.

NOTÆ.

1 *SIgebertus III.*] Filius Dagoberti primi.

2 *Prodigia.*] Quod eius cadauer tam diu incorruptum manſerit, & multa alia miracula quæ videri poſſunt, apud authores vitæ huius Sanctiſſimi Regis.

Ab S. Arbogaſto Argentinenſi Epiſcopo in vitam reuocatus dicitur cum in venatione occiſus fuiſſet. *Menar. in Martyrol & Ruyr.*

3 *Aulam.*] Eius aula cœnobium potius quam domus regia videbatur.

4 *Pipinum.*] Primum Brabantinum Ducem.

5 *Cunibertum.*] Poſtea Colonienſem Archiepiſcopum.

6 *Templa.*] Præcipuè Sti. Martini prope Metas, ad radicem montis S. Quintini, vbi ſepultus fuit.

7 *Pſaltæ regi.*] Frequenter pſallebat, diu noctúque in templis, cum religioſis viris.

8 *Caſum.*] Dauidis caſum ſæpe meditabatur,

dicebátq; Reges omnes illius meminiſſe debere.

9 *Ad ſuperos.*] Migraſſe dicitur anno Chriſti 662. ætatis 31. Cal. Feb.

Ex Sigeberto & Georgio Aubry in huius S. Regis vita.

S. LVDOVICVS Rex.

QVOD lilium inter flores, hoc [1] Ludouicus inter reges, qui anteceſſores Principes & coætaneos, animi magnitudine; puritate, lilia ipſa ſuperauit. Vixit in aula, vt in Oceano gēma, cæleſti rore: & vt illa nihil à circunſtante ſale; nihil hic ab aulæ moribus, contraxit labis. [2] Crimen in Deum, quo ab eius excideret gratia, nunquam admiſit, in ſubditos iniuſtū nihil: Iuſtitiæ enim manum quam geſſit, tulit altera, quæ ſuum cuíque

ſemper reddidit, Deo, ſubditis, & ſibi: imò etiam cùm armata flagello, ſęuiit in ſe ipſum. Iuſtitiæ manus fuit, quæ pœnas pro leuioribus repetiit culpis, & Venerem quæ tot perdidit reges, [3] ſingulis diebus veneris, flagello à ſe amouit longiſſimè. Eadem manu [4] blaſphemis ademit linguas, & frontem auferendo reddidit, cùm eorum linguas aut frontes aduri iuſſit. At non iuſtitiæ tantùm ſed & miſericordiæ habuit manum, qua regias opes profudit in egenos, illíſque [5] conuiuia poſuit & [6] hoſpitia; pręter aquas, quibus eorum dum [7] lauit pedes, ſuas abluit manus, & puriores fecit. At qua dicemus eorum ex menſis analecta collegiſſe & in deliciis habuiſſe? Tot Diuino Numini [8] templa, tot eius ſeruis monaſteria ſtruxiſſe? In [9] Aſiam ſemel cum fratribus ſuis tribus: In [10] Africam cum liberis totidem, ſua ſi-

gna intuliſſe bellica, vt inferret Chriſti pacifica, & Crucē Palæſtinis Chriſtianis redderet, aut daret Saracenis? Pietatis: qua duce, Tunetano in regno à morte victus, victor euaſit: Triumpho enim in Cœlum receptus, victoriam ad Gallos ſuos dimiſit, quæ Tunetanos coëgit, quadraginta aureorum millia pendere quotannis & Chriſtianæ fidei præcones audirē. Moriens orationem ad filium ſucceſſorem habuit, qua regiæ vitæ & ſanctæ poſuit præcepta, ex ſuis deprompta moribus. Dixit enim vt vixit, vixit vt dixit.

NOTÆ.

1 *Lvdouicus.*] Huius nominis Nonus, Ludouici VIII. filius.

2 *Crimen.*] Secundum piæ matris votum, quæ ſæpe filio ſignificauit, male ſe illum videre vita quàm gratia priuatum.

3 *Singulis diebus veneris.*] Poſt confeſſionem Sacramentalem, qua ſingulis diebus veneris

peccata ſua purgabat, à confeſſario ſuo volebat excipi catenis quinque ferreis inter ſe connexis, quas in pixide ſecum ſemper ferebat: præter cilicium, quo ferè ſemper, ad ſenium vſque vſus eſt, & ieiunium quod iiſdem ſextis ferijs coluit, cui adde, quod diebus Mercurij & Lunæ quandiu valuit, à carne abſtinuit.

4 *Blaſphemis.*] Ciuis cuiuſdam Pariſienſis naſum & labra iuſſit aduri candenti ferro, propter prolatam blaſphemiam.

5 *Conuiuia.*] In eius aula ſæpiſſime viginti ſupra centum mendici alebantur, iiſdem cibis ac domeſtici.

6 *Hoſpitia.*] Pontiſaræ, Compendij, Pariſiis, Veruonij.

7 *Lauit pedes.*] Singulis diebus ſabbati pedes 3. ſenum pauperum abluebat & oſculabatur amantiſſimè, poſtquàm Regia menſa excepiſſet.

8 *Templa,* &c.] Mendicantium ordinum, præcipue Franciſcanorum, Dominicanorum, Carthuſianorum, &c. *V. Joinuill. c.* 85.

9 *In Aſiam.*] Vbi generosè in Saracenos pugnauit. Damietam cæpit; multos recepit Chriſtianos captiuos, *&c.* ſed ob crimina exercitus ſui, captus eſt, & ſoluto redemptionis pretio liberatus.

10 *In Africam.*] Vbi peſte correptus, obijt, anno 1270. ætatis ſuæ 55. die 25. Aug.

Ex Ribad. & Scip. Dupleix hiſt. Gall.

S. BATILDIS
Regina.

NOTIOR virtutibus, quàm natalibus; illinc enim clariſſima Batildis, hinc obſcura; licet nõ obſcuri fuiſſe putentur parentes: Sed ex qua regione, in Galliam aduecta fuerit, vix ſcitur. [1] Erchinoaldo Palatij magiſtro væniit nobile mancipium, quod vxore mortuâ, in torũ ſuum, ob formam & virtutes, euexiſſet herus, ni faces exoſa nuptiales, [2] fugiſſet Batildis & latuiſſet in tenebris. O dignam liliis puellam! ô digniſſimum coronari generoſum animum! Sed ô ęquiſſimum cœlum, cùm vtrumq; dediſti! A Clodouæo enim Secundo, Dagoberti filio, paucis pòſt diebus, in conſortem

aſſumpta throni & tori, Regina coronata eſt liliorum : quibus potita, virtutes non minuit, ſed [3] populi tributa & regium ærarium. Ex quo quantum in egenos, Chriſtiana mancipia redimenda, & monaſteria profuderit, dici non poteſt : præcipuè in [4] Gemeticenſe, ad quod appulerant, tam ſine neruis brachio (iuſto enim iudicio mater abſcindi iuſſiſſe dicitur) quã ſine remis & velis nauigio, eiecti, & ſequanæ commiſſi [5] rebelles ſui in parentem filij. Eò liberalitatis veniſſe fertur, vt cingulum ſuum auro & gẽmis graue, religioſo cuidam viro porrexerit, quòd ſancta mallet eſſe, quàm cincta ; & vtrumque illi graue eſſet, Chriſti ſeruorum penuria, & ad lumbos ſuos auri pondus inutile. Clodouæo mortuo, Galliæ præfuit, dicam, an profuit? Vtrumque : quoad eius liberi tres, populis apti regendis vide-

rentur, quibus corona donatis, ſuam depoſuit, & vitæ tam benè inſtitutæ finem coronauit. Nam [6] Calenſe ingreſſa monaſterium, quod magnis auxerat incrementis, & redditibus, ab ſummo Imperio, exſcendit ad humillima quæque Religionis [7] obſequia: & [8] præteriti immemor, memor futuri, Reginam ſe fuiſſe, oblita, recordata morituram, ad nutum ſuperioris ſe fingi, & cadaueris inſtar, in quamcumque vellet partem, moueri permiſit. Quare mirum videri non debet, ſi viginti, poſt eius mortem annis, à vermibus intacta, reperta fuerit in ſepulchro: tunc enim vixit, cùm mortua eſſe debuit, quæ tunc mortua fuit, cum viua eſſe debuit.

NOTÆ.

1 ERchinoaldo.] Alias Archembaldo, vel Herconoaldo.

2 *Fugiſſet.*] Quoad herus duxiſſet vxorem.

3 *Populi tributa.*] In capita incolarum impoſita.

4 *Gemeticenſe.*] In Normania Gall. *Iumieges.*

5 *Rebelles filij.*] In patrem abſentem rebellaſſe dicuntur duo eius filij adoleſcentes,& ea iudice, abſciſſis brachiorum neruis (vnde eneruati poſtea dicti ſunt) crimen ſuum luiſſe; quos naui, remigio & velis carenti, impoſitos, Gemetias ad S. Philbertum, per Sequanam ſors aduxit. De qua hiſtoria diſceptant authores, ſed veriſſimam aſſerunt Gemeticenſes Monachi, in Annalib. Benedict. Domini,Ant.D'yepez Gallicè redditis.

6 *Calenſe.*] *De Chelles* prope Pariſios, à S. Clotilde inchoatũ, à Sancta vero Batilde auctum.

7 *Obſequia.*] Præcipue ægrotis & nouitijs in valetudinario, culina, & triclinio.

8 *Præteriti.*] Honoris & Dignitatis.

Sanctiſſimam eius animam in cœlum deduxerunt Angeli & S. Geneſius Lugdun. Archiepiſcop.eius olim Eleemoſynarius, die 26.Ianu.

Ex vita apud Ribadeneira: item ex Ant. d'Yepez, & Vincent.Bellouacen.

B. IOANNA FRANCICA, *ſeu* VALESIA, *Regina.*

MAXIMORVM Regum [1] filia, [2] ſoror & [3] coniux, multa tulit à parente, fratre & marito. Illam malè habuit [4] primus, ſecundus [5] contemptui, tertius omnino habere noluit. Quem tulit illa montem, aut gibbum dorſo, à natura impoſitum, Athlantes licet, ferre nō valuerunt parens & maritus: quin potius eo monte omnem ſuum in eam amorem ita oppreſſerunt, vt vix vnquam flammulam emiſerit. Viginti & vno annis iuncta matrimonio cum Ludouico Aurelianenſi Duce (qui poſtea Rex fuit Ludouicus huius nominis XII.) ab eo nihil accepit, præter contemptum, &

[6] repudij libellum. Sed à terreno relicta, Regi nupſit cœleſti, eíque multam ac piam genuit virgo prolem, in ſacro quem [7] Auarici Biturigum inſtituit ordini B. Virginis Annunciatæ, vti illi [8] ſexenni eadem cœlorum Regina prænunciarat. Eum partum prçceſſere dolores non pauci, plures ſunt ſubſecuti: tam enim [9] ſæuiit in ſe ipſam Regina piiſſima, vt præter mortem, nemo dexteram eius exarmare [10] flagello, quo carnem ſingulis diebus tundebat acerrimè, nemo cilicio & catena ferrea eius corpus exuere potuerit; nemo [11] clauos quinq; argenteos refigere, quos pectori admouerat, vt his puncta aculeis, ad ſanctitatis & vitæ metam citò decurreret, & gloriæ coronam: quam adeptā fuiſſe Ioannam, omnium virtutum operibus, loquuntur & affirmant [12] triginta ſupra centum miracula, præcipuè

verò per LVII. annos intactum à vermibus eius corpus, teſtis incorruptus; cuius teſtimonium, quòd hæreticos adureret, [13] flammas repoſuerunt, ſed ab eo igne, Ioannæ lux maior affulſit, & Clientibus ardor.

NOTÆ.

1 *Filia.*] Ludouici Regis huius nominis Vndecimi.

2 *Soror.*] Caroli VIII. qui Ludou. XI. ſucceſſit.

3 *Coniux.*] Ludouici XII.

4 *Primus*, &c.] .I. Pater, qui eam æquis videre non poterat oculis, quòd deformis eſſet vultu, & gibboſa; ſæpe aduentante rege illam occultabat ſub longa ſua veſte D. de l'Equiere eius Gubernator, ne viſa puella regia, ſtomachum regi faceret.

5 *Contemptui.*] Tanto habebatur contemptui, vt in vrbe Turonenſi, vbi rex commorabatur vix aliquando inueniſſet, quò ſe reciperet, niſi Dux cuſtodiæ regiæ, cubiculum ſuum obtuliſſet.

6 *Repudij.*] Quamprimùm Rex eſt denuntiatus; quòd antea auſus non fuiſſet propter metum Ludouici XI. & Caroli VIII. licet pridie quàm contraheret, coram notariis publicis (at ſecretò)

ſignificaſſet ſe nolle matrimonium contrahere, ſed vi & metu ad hoc adigi.

7 *Auarici Biturig.*] *A Bourges.* Poſt diuortium, in vrbe Bituricenſi ſacrum ordinem Virginum inſtituit, in honorem Beatæ Virginis Annunciatæ, ſeu de decem virginis gaudiis aut virtutibus, in ſacris codicibus expreſſis; nimirum puritate, humilitate, veracitate, deuotione, obedientiâ, paupertate, patientiâ, charitate, & compaſſione.

8 *Sexenni.*] In templo, coram imaginibus Chriſti ſaluatoris eiuſque genitricis, oranti B. Ioannæ Virgo adſtitit, & prædixit fore vt ordinem Sacrum Virginum inſtitueret in honorem Annunciationis.

9 *Sæuit.*] Ieiunijs præſertim, tempore quadrageſimæ cibis veſcens oleo conditis, nullis vnquam piſcibus. Extra quadrageſimam, tribus in ſingulas heddomadas diebus.

10 *Flagello.*] Sero, poſtquam omnes pediſſequæ è cubiculo ſuo diſceſſerant.

11 *Clauos.*] Infixos aſſerculo leuiori.

12 130. *Miracula.*] Ante 25. annos totidem numerauit P. Gregorius Mirnault, ordinis Sancti Franciſci.

13 *Flammas.*] Anno 1562. duce Mongomerio Comite licet mortua, tria edidiſſet ſuſpiria, à quibus territi tres milites ex cohorte Miregrādi Ducis, qui in cryptam deſcenderant, aufugerunt. Sed audentiores & ſceleratiores alij ex cohorte Blancherij, flammis tradiderunt, poſtquam

vnus ex illis, cadauer ſacrum enſe, tranſuerberans, multum elicuiſſet ſanguinem.

Abierat è viuis B. Ioanna anno 1505. die 4. Feb.

Ex vita à R. P. Ludouico Doni d'Atticby conſcripta.

S. ROMARICVS *Princeps.*

E REGIO ſtemmate Princeps [1] Francus, coronam ambierat adoleſcens (ſed quæ abraſo ſit pilo) & paupertatem libens voto profiteri, quàm aliquando expertus fuerat inuitus, bonis omnibus à [2] Brunechilde exutus paternis, & vtroque orbatus parente. In ſua tamen cùm rediit bona, à bonis abiit deſideriis, matrimoniíque nexus vinculo, nunquam in libertatem ſeruorum Dei aſ-

ſeruiſſet ſe, ni cœlum amatam abſtuliſſet coniugem, & [3] Amatum [4] Luxouio miſiſſet, religioſiſſimum virum, qui penè emortua colendæ eremi deſideria ſuſcitaret cum fœnore. Romaricum enim è ciuitate Metenſi Luxouium perduxit, nec ſolum, vt olim mundo abire meditatus erat, ſed cum vernis triginta, (digno certè tanto Principe comitatu) quem non Vanitas ſed Pietas adiunxit, & idem Deo ſeruiendi ardor. Eò loci, vt virtutum & præſertim humilitatis theſaurum inueniret, terram fodit, & inuenit: in hoc vno, ſed ſanctè Superbus, quod nunquam vitia audire, & qui antea ſeruis ſolùm & mancipiis imperabat, Principi, hoc eſt ſibi, poſthac voluerit dominari. Ad Caſtrum ſuũ Auendunum in monte Voſago poſitum, de licentiâ Euſtaſij Abbatis profectus, monaſterium fieri iuſſit, & quæ illum olim

olim à religione ineundâ retardarant bona, in religionem ingredi;[5] nouem enim dedit monaſteriis, quæ ad eum montem condidit, quorum ipſe vnũ, Amatus alterum, ſeptem alia incoluerũt Virgines Deo ſacræ numero octoginta quatuor: inter quas fuerunt, è tribus eius natis, duæ, Gertrudis & [6]Segeberga: Sed ab Hunnis diruta, in vno, quod nunc extat, vltra-Moſellano, reſtaurauit omnia Ludouicus Rex huius nominis Tertius, quod Romarici [7] montis nomen, etiam in valle obtinuit. Ex hoc monte, in cœleſtem euolauit Romaricus, & inter Angelos eſt admiſſus, poſtquam diu nouẽ ſuis monaſteriis, veluti nouem Angelorum terreſtrium choris pręfuiſſet. Decedens ne quid ſupereſſet, quod huic [8]monti non dediſſet, dedit & nomen ſuum; qui poſtea Romaricius mons dictus eſt & Sanctus: Quippe mons

opus erat, qui poſt illum, tantum ferret nomen. Sed in Sanctum eũ montem, cùm auſpicatò Sanctus veniſſet [9] Leo, & Romaricum ritu ſolemni dixiſſet Sanctum; quod monti dederat (ſine montis diſpendio) recepit Romaricus, MAGNVM NOMEN.

NOTÆ.

1 *FRancus.*] Ex progenie Pharamundi, filius Romulphi Principis, in aula Theodeberti regis Auſtraſiæ.

2 *A Brunechilde*, &c.] Quòd Romulphus eius parens contra Theodoricum, à Theodeberto ſtetiſſet: ſed ab eadem poſtea recepit.

3 *Amatum.*] Monachum Luxouienſem, ab Euſtaſio Abbate & S. Columbani diſcipulo Metas miſſum.

4 *Luxouio.*] Cœnobio in finibus Comitatus Burgundici & Lotharingiæ contermino.

5 *Nouem Monaſt.*] In quorum vnoquoque, 12. virgines conſtituit ad ann. 620.

6 *Segeberga*, &c.] Alias clara & Cecilia.

7 *Montis nomen*, &c.] Vulgo *Remiremont*, quaſi *Romaric-mont.*

8 *Monti.*] Etiamnum vocatur mons Sanctus.

9 *Leo.*] Huius nominis nonus Pontifex. Max. antea Bruno dictus, de quo nos ſupra, in Pontificib.

Apud Romaricommontanos colitur die 8. Dec.

Ex Iacobo Serrario Soc. Ieſu in vita S. Romarici, Ruyr, & Menard.

BEATA JSABELLA *Princeps fœmina.*

CVI fuit [1] idem Sanguis cum D. Ludouico Rege ſanctiſſimo; non diſpar fuit animus: fuitque Principes inter fœminas Iſabella, quod viros inter & Principes Ludouicus: vt nobilitate, ſic ſanctitate Princeps: Sui ſexus miraculum, perpetuo vixit miraculo, quæ nunquam comedere viſa eſt quantum alendo corpuſculo abſque miraculo eſſe videretur;

ſed quod detraxit corpori, animæ reddidit, cùm cibis intactis & ieiunio virtutes ſuas & ſanctitatem ſaginauit. Vt parca ciborum, ſic fuit [2] verborum; & vt os cibis vix aperuit, ſic occluſit verbis, tam ſacri tenax ſilentij, quàm ieiunij. Virorum item nemini quantumuis magno [3] nubere voluit, quòd adhærere vni vellet Deo, imo ne in ædes ſuas quemquam alieni ſexus [4] penetrare, vltimo præſertim ante mortẽ ſexennio, ne à ſe ipſa, hoc eſt à ſanctiſſima Virgine, vel tantillùm cogeretur diſcedere. Ne caro liliis ſuis, & caſtitati pudorem iniiceret, iniecit carni; illámque fœdauit ſanguine, [5] flagellis educto, ne à carne & ſanguine fœdaretur ipſa, ſi matrem principum noluit eam eſſe caſtitas, charitas fecit pauperum, quos adeò dilexit, vt nonnunquã amantiſſimo [6] prætulerit fratri; nec in eo minùs gratam eſſe timuit

regi terreno, vt placeret cœleſti; cuius ita timuit iudicia, vt decumbenti ſubiectus aliquando cõtremuerit lectus: licet fraternæ virtutis æmula, & ſanctiſſimi regis inſiſtens veſtigiis[6], qui Cruce inſignis regno [7] exierat pro Chriſto pugnaturus, mundo abiiſſet, & ſuſcepta cruce, in lato aut [8] Longocampo contra Dei hoſtes & ſuos, ita generoſè pugnarit, vt vicerit; nec vnquam capta fuerit, niſi à morte. Poſt quam tamen vt victrix, feſtos exhibuit [9] ignes, quibus reſplenduit; & vox de Cœlo allapſa, in pace factum eſſe locum eius aſſerens, Epinicion cecinit. Si pugnare & vincere vt Iſabella, aut bona ſerere opera volumus, Longus patet nobis vbique campus, qui palmas, lauróſque ferat æternas, aut copioſiſſimam meritorum meſſem.

NOTÆ.

1 *IDem Sanguis*, &c.] Fuit ſoror D. Ludouici Regis, è Ludouico VIII. Blanca Regina.

2 *Verborum, &c.*] Sæpe iuſſa loqui à matre, etiam coram rege & ſancto fratre, rogabat vt ſibi liceret tacere.

3 *Nubere.*] Conradum Friderici Ænobarbi Imp. filium, etiam adhortante Pontifice Innocentio IV. maritum habere noluit, vt virginitatem coleret: quod probauit Alexand. IV. qui vota eius excepit.

4 *Penetrare.*] Cum iunior eſſet, ſi quis in cubiculum ſuum vir ingrederetur, ſtatim ex cubiculo ſe proripiebat.

5 *Flagellis*, &c.] Manu ſæpiſſime Aloyſiæ de Boiſemont rectricis ſuæ.

6 *Prætulerit.*] Velum lineum pretioſiſſimum, quod petenti regi dare noluerat, egenti mulierculæ ſubmiſit, cùm non eſſet in manibus, quam daret pecunia.

7 *Exierat*, &c.] In Aſiam ſemel, ſemel in Africam.

8 *Longo campo.*] Gall. *Lonchamp.* alias *Coupe-gorge*, prope Clodulphopolim, (*S.Cloud*) in quo 9. annis vixit.

9 *Ignes.*] Eius cubiculo lux affulſit, & vox

audita eſt; *In pace factus eſt locus eius.*

Anno 1269. die 23. Feb. Colitur tamen 31. Aug. vt conſtituit legatus Apoſtolicus Leonis X. qui dixit illam beatam anno 1521.

Ex vita à Carolo I. Rege Siciliæ, eius fratre ſcripta.

SANCTA GVDILA
Princeps fœmina.

E Liliis ipſis, & in Liliis nata, Lilia peperit [1] Gudila, virgo enim fuit & Pipini Principis ex Amalberga ſorore neptis, quæ à ſancta Gertrude, parente ſua luſtrali Niuellæo in Cœnobio educata, ad ſuos reuocata rediit, cùm illa perrexit ad ſuperos, à ſanctitate tamen non receſſit. Ad orationem enim cùm pro more [2] ſecederet nocte, vnâ comitante pediſſequâ, in [3] ſacellum à domo

paterna milliario diſſitum, & facẽ quę illi pręferebat ur, frendens extinxiſſet dęmon; ardenti oratione quâ cor eius exarſit illicò, illã accendit, & tenebras cum tenebrione vicit. Huius ignis calorem, mortuum Gudilæ corpus diu retinuit, nam cùm rigẽte hieme terræ mandaretur, [4] arbor [5] ſepulchro proximæ, ſubito efflioruit, & aliquot pòſt annis cùm ab ipſo loculo, idem ſanctæ virginis cadauer [6] in templum deportaretur; nouum facta heliotropiũ, ſuum ſecuta eſt ſolem, atque ab imis auulſa radicibus, ſponte ſe ad limen templi ſiſtens, florido ſuo teſtata eſt. idiomate, mortuæ ſe Gudilæ viuere, & eius virginitati florere. Cuius rei fama, Caroli Magni pietatem ad excitandum eodem loco ſacris Virginibus templum adduxit, quod aliquando, à canibus eò adactus, ingreſſus eſt vrſus, qui vt limen tetigit, exuit ferã,

virginúmque pedes exoſculatus, ibidem manſit; quippe agnus factus, inter ouiculas manere voluit. Ex eo templo Bruxellas iterum tranſlati ſanctæ Gudilæ cineres aut ignes, à Carolo, Lotharij Francorum Regis fratre, ad annum 670. ſed ab eo, Liliorum amans & pudoris virgo videri noluit, immiſſa repente, (ne in eius conſpectum veniret) nube. Quare obſeratis ſine mora ſacris lipſanis, eíque redditis, in quibus latere cupiebat naturalibus tenebris, quas prodigio ſimiles immiſerat, ab oculis ſpectantium reuocans contraria contrariis emit, nam pro luce tenebras, pro tenebris lucem rependit.

NOTÆ.

1 GVdila.] Vel Gudula filia S. Vvitgeri Comitis & S. Amalbergæ.

2 *Secederet nocte.*] Nudis pedibus, noctu, loca ſacra inuiſere ſolita fuit.

3 *Sacellum.*] Sancti Saluatoris in Mortcſella ſeu Morſella propre Teneramundam, ad Scaldim.

4 *Arbor.*] Populus, ad eius ſepulchrum media hieme viruit.

5 *Sepulchro.*] In vico Ham dicto.

6 *In Templum.*] Ex vico Hamenſi, in ſacellum Mörſellen.

Ex M.S.C. peruetuſto.

S. EVERARDVS Dux.

1 SOLEMNE fuit [2] Euerardo Duci, piis orationum iaculis Cœlum impetere, cùm terram armis non oppugnaret. Templa ponere vero numini, cùm falſorum non euerteret fana: egenis opitulari, Diuorum lipſana cònquirere, viros venerari religione obſtrictos, Monaſteria condere, [3] ſincero numen colere affectu, Eccleſiæ paci & quieti

ſtudere, conſtringendis arcto pacis vinculo Principibus, nauare operam: demum in bello Dauidem agere, in pace pluſquã Salomonem: illius more prœliari, huius ædificare; & ita militẽ miſcere & Apoſtolum, vt magis animas vitæ reddere, quàm morti tradere corpora curaret; & aquis perfundi ſalutaribus hoſtes ſuos, (qui fermè ſemper Ethnici fuere) quàm mortifero cruentari ſanguine. Qui pietati ſic ſtudebat, à Pio non ſtare nõ potuit. Contra filios impios Ludouicum [4] Pium, Regem & Imperatorem tutatus eſt armis: à quo primùm Marchio & Comes (vt contra graſſantes hoſtes regni tutaretur limites) deinde Dux renunciatus, Foro-Iulium in Italiã, & Cyſonium in agro Tornacenſi fiſcum accepit regium, imo & [5] Giſlam eius filiam in vxorem, vt rebellantibus in patrem liberis, Pio pius

ſaltem adhæreret ſocero gener. In Illirium cum exercitu miſſus à Lothario Imp. (apud quem, poſt pij mortẽ, prçcipuâ valuit authoritate,) proChriſtianis Lege & Rege, ita pugnauit, vt templorum apicibus imponi ſolitis Gallis gallinaceis, vix prçuolarint Imperatoriæ aquilæ ; nec priùs prçſidia militibus poſuerit , quàm propriis ſumptibus [6] templa Neophytis : quod in multis aliis præſtitit locis, ſed præcipuè [7] Cyſonij , vbi Canonicorum ſacrum inſtituit Collegium , cui minorem præponere noluit Pontificem, eóque inter Summos Max. pietate & miraculis inter bonos optimo, Caliſto videlicet, ne vnquã à Romana fide & bonis moribus deſciſceret, quòd Pontificem coleret & optimum. Huius ſacras exuuias cùm ab Notingo Brixienſi Antiſtite impetraſſet, Sacerdotum humeris Cyſonium [8] deferri

curauit, quòd tam ſanctum virum, ſacrum deceret vehiculum. [5] Moriens 7. reliquit quos ex Giſla Pij filia ſuſceperat liberos, Pios ferè omnes: plures ſuæ pietatis parentes, ſacros libros. In quibus euoluendis, ſi Euerardum ſecuti fuerimus, non aberrabimus, optimum ſequemur Ducem.

NOTÆ.

1 SOlemne, &c.] Ex Buzelino l. 3. annal. Gall. Fland.

2 *Euerard.*] Nobiliſſimâ inter Francos natus familiâ ad ann. 834.

3 *Sincero*, &c.] Hincmarus Archiepiſcop. Remenſis famâ delectatus Euerardi, ad illum inſignes dedit litteras gratulatorias, quòd præclarè potentiâ vteretur, quod ſincero numen coleret affectu, Eccleſiaſticæ quieti ſtuderet &c. *Flodoard. l. 3. c. 26. hiſt. Remen.*

4 *Pium.*] Fuit Ludouico Pio charus, ob virtutem bellicam, fidem incorruptam, & probos mores.

5 *Giſlam.*] Caroli Calui ſororem, ex Iudith vltima ſua coniuge.

6 *Templa.*] Ad fidem Chriſtianam plurimos adduxit, quibus templa conſtrui curauit.

7 *Cyſonij.*] Inter Tornacum & Inſulas.

8 *Deferri.*] Anno 855.

9 *Moriens*,&c. Anno 870. 15. Decemb.

Ex hiſt. Eccl. Belgij à Gazetô & Buzelino in Annal. Gall. Flandr. lib. 3.

SANCTA ITTA; ſeu IDVBERGA, Dux.

A Natvra vix diſceſſit, vt abundaret gratiâ, nec hoſtem experta eſt qui ſanctitati moleſtiſſimus eſſe ſolet, ſanguinem: Pius in ea fuit & Sanctus, quæ [1] D. Hubertum Aquitana Aquitanum habuit nepotem, maritum [2] Pipinum, filias Gertrudem & Beggam, fratrem

Modoaldum TreuirenſemAntiſtitem & ſororem Seueram, cœlitum albo adſcriptos omnes. A virtute item non fuit quod abhorreret, domeſtica fuit, cuius perpetuo accepit aut dedit exẽpla. Sed omnia fermè præter aquas effluxerunt, quibus pauperũ lauabat pedes, quos, viuo cõiuge, excipiebat hoſpitio: vel certè ſcripta non ſunt, quòd eo tempore vixerit, quo anſeres erant plurimi, pennæ ad ſcribendum pauciſſimæ. At eſto perierint multa, aut ſcripta non fuerint, ſaltem certò ſcimus, cum ſancto ſanctam, cum viro innocente innocentem fuiſſe, quocum mortuo mũdum ſepeliit, ac præcipue muliebrem. Ab eo enim tempore amatorem ex multis, qui eius ambiebant nuptias, admiſit nullum, ſed Amandum adiit, à quo ſacrum acciperet flammeum: velari voluit, non nubere, niſi Chriſto, Cui ſe, ſi-

filiámque Gertrudem deſpondit, & in dotem, ſua dedit omnia [3] Niuellánoq; ſe abdidit Parthenone, quem conſtruxerat, vbi variis agitata [4] procellis, nunquam à propóſito, quod vrſit conſtanter, fluctuauit; aut ſi mota eſt, in medio, quod lacrymis fecit, pelago, tam aptè vela fecit pietati, vt [5] ad fœlicitatis portum, duodecimo poſt mortuum Pipinum anno, animã appulerit. Illam tamen, beatam licet, multis fleuere lacrymis, quos aluerat aut hæredes ſcripſerat, pauperes; ſed quæ ardentes faces extinguere ſolent aquæ, in Itta prodigium fecerunt aut miraculum, extinctæ lucem dederunt.

NOTÆ.

1 *HVbertum.*] Celeberrimum illum Leodienſem Epiſcopum, Comitem Aquitanium. *Robert. in vita Hubertina.*

2 *Pipinum.*] Maiorem domus in Auſtraſia, de quo infra.

3 *Niuellano Monaſt.*] Anno 650.

4 *Procellis.*] Per conſanguineos excitatis, qui eius prædijs & diuitijs inhiabant.

5 *Ad fœlicit. portum.*] Die 8. Maij

Ex Miræo in Faſt. Belgic. & M.S. apud Script. Gall. collect. ab And. Quercetano.

S. [1] *ELZEARVS Comes.*

LILIVM eſt quod præ oculis habes, illúdque tam purum, tam odorum, vt lilia facilè vincat omnia. Quid enim purius, quid ſuauius, adoleſcente aulico, & coniuge tam caſto, tam Virgine, vt à tori conſorte puellâ ad miraculũ formosâ, ne minimam vnquam acceperit, nec illi viciſſim dederit [2] Veneris flammam? Qui ſpon-

ſæ ſponſus accumbit, vt roſa lilio, vt agnus agno? Quam lilio par aulicus, qui animarum venenum è domo ſua proſcribit vitia? qui [3] nullâ vnquam irâ rubet, & longè latéque virtutum ſuarum odorem diffundit? Talis fuit Elzearus, Sabriani & Ariani Comes, qui [4] decalogum famulis ſuis poſuit, quo à familia ſua longè amandauit grauiores noxas: qui in aula [5] Caroli Ducis Calabri, cuius rector erat & Comes, cæterorum dux eſſe ambiit, ſed [6] ad pietatem; & libellorum ſupplicum ab egenis oblatorum magiſter, vt eſſet patronus: qui habuit in deliciis ieiunium, in cultu cilicium; iniuriarum vindictâ vſus eſt ſilentio, & tolerantiâ, etiam in ſubditos indigniſſimè [7] iniurioſos: qui ad menſam ſuam quotidie leprâ infectos XII. admiſit, eorum lauit pedes, & ori ſuo amantiſſimè adpreſſit. Quàm lilio nõ

abſimilis aulicus, qui tam pura figit oſcula, vt nec dantis nec accipientis mentem inquinēt, ſed corpus ab horrida pûrgent lepra? Hoc præſtitit aliquando Sanctus hic Comes, qui dimiſſis præter duos aſſeclis omnibus, & noſocomium ingreſſus, viros Sex illâ lue ferme exeſos, amplexu ſuo & oſculo, priſtinæ reddidit ſanitati. Quod enim ori eorum fixit oſculum, lepræ fuit telum, quo concidit: (heu prodigium! tunc lepra ſenſum habuit; ſenſit Elzeari ſanctitatem). Hanc & vidit ſine oculis eius horreũ, quod ſemel & iterum profuſis in egenos exhauſtum largitionibus, momento obſtupuit ſe frumēto repleri cœlitus aduecto. (Nempe cœleſtis eſt agricola, & arua cœleſtia, quæ ſanctitati laborant & fructificant.) Eandem & viderũt bene multi, cùm leproſos mundos fecit; vbi enim tantum patrauit

miraculum, continuò ſanctitatis radius, eius caput circumcinxit, vt Sanctorum albo dignum, etiam ante mortem affirmaret, aut cœleſtem ignem in mente Elzeari latentem oſtenderet Qvi ſemper pauperum miſeriis ęquè pungetur, ac Elzearius; cum eodem leprâ infectos exoſculetur, nec à lepra timeat, bellè ſentit.

NOTÆ.

1 E*Lzearus.*] Alias Eleazarus, ex Prouincia Narbonenſi, matrem habuit illuſtriſſimam fœminam, quæ ex moribus vulgò Bona Comitiſſa vocabatur.

2 *Veneris flammam.*] Caſtitatem cum ſponſa coluit, ab anno ætatis 15. Suadente enim Sanctiſſima eius coniuge Delphina, 17. annos nata, ſtatuit nunquam vti matrimonio, quod ſanctiſſimum propoſitum voto poſtea confirmauit, & impleuit, licet communi cum illa vteretur toro.

3 *Nulla ira.*] Tam mitis fuit, vt nunquam iraſci viſus fuerit.

4 *Decalogum.*] Sanctæ vitæ præcepta domeſticis poſuit, quibus, vitia è domo ſua proſcripſit.

5 *Caroli.*] Nepotis Sanđi Ludouici, Epiſcopi Toloſani.

6 *Ad pietatem.*] Erga pauperes, quorum patronus eſſe voluit.

7 *Iniurioſos.*] In comitatu ſuo Ariano, toto triennio, à ſubditis iniurias, & contumelias non ferrendas æquo tulit animo.

Pariſijs mortuus anno 1323. 27. Septemb. Aptæ in Prouincia ſepultus eſt, vbi claret miraculis.

Ex vita apud Cornel. Graſium.

BEATA IOANNA BRITANNICA Comitis vxor, S. Dominici Mater.

EX ramo diſce arborem, fontem ex riuo, ex filio matrem, Concham ex gemmâ, Ioannam ex Dominico, quæ nobiliſſima licet genere, [1] ex Britannia minori, Comitis filia, [2] Fœlicis Guſmani Co-

mitis coniux, à pietate tamen & partu longè nobilior fuit. Tres in lucem edidit liberos, verè lucis filios, Antonium, Mauem, & Dominicum; quorum duo primi ſanctitate quidem illuſtres, ſed gradus tantùm fuere, quibus ad tertium veniretur. Hunc vt pareret, naturæ contrariam iniit viam; à mortuo petiit viuum, & in tenebris lucem. Nouem enim continuis noctibus ad ſepulchrum B. Dominici de Silos pernoctans, hãc tertiam cùm petiiſſet prolem, ſeptimâ nocte, more canis latrantem audiit in vtero, & facem ore videre ſibi viſa eſt præferentem: cuius lumine futuram vidit filij ſanctitatem. Editum in lucem, quòd Deo dicari proprium, & totum Chriſti Domini eſſe vellet, Dominicum appellauit, qualis poſtea verè fuit, qui Guſmani aut veteris hominis (vti vox Britannica ſonat) habuit nihil, noui

omnia. Hoc ipſum circa eius caput volitantes [4] apes teſtatæ ſunt, & cerâ ſuâ obſignarunt, quæ florem putarũt eum, qui tot odores ſpargeret virtutum. Sed longè certiùs planiúſque teſtatus eſt [5] Sacerdos, qui inter ſacrificandum, cùm bene adprecari populo debuiſſet ex more; ter ad Ioannam & Dominicum conuerſus, ter hæc verba protulit inuitus, *Ecce reſtaurator Eccleſiæ.* His dignata oraculis Comes piiſſima, per ſanctos mores, & virtutum opera, gratias Deo referre ſtuduit, quoad debitam Cœlo reddidit animam, cuius ſacris cineribus, elapſo pòſt ſæculo, humerum meritò ſuppoſuit, [6] Ioannes Manuel, infans Hiſpànus, & in vrbe Pennafiel, templum [7] cum cœnobio poſuit.

Tam bonæ, & tot Sanctorum Matri, minus non debuerat Bonus infans.

NOTÆ.

1 **E**X *Britania Minori.*] B. Alanus à rupe, qui vixit ante annos 200. affirmauit ſe ex beatâ virgine accepiſſe, B. Ioannam Dominici matrem fuiſſe Gallam, & ex ſtirpe Ducum Britanniæ minoris; Vnde ſcripſit filiam fuiſſe cuiuſdam comitis Britanniæ (tunc enim temporis. I. anno 1160. erant 4. filij ducis, qui titulis ornabantur Comitum)& S. Dominicum anno 1200. inuiſiſſe Ducem Britonũ conſanguineum ſuum. Is autem erat Arturus, filius Godefridi & Conſtantiæ Ducum Britanniæ. Huic teſtimonio fauet, quod familia Guſmanorum habet in ſcuto gentilitio murem Ponticum, vt Duces Britanniæ. *Ex 2. parte l. P. Ioann. à S. Mariâ Dominicani, de SS. monialib. Primi & III. ordinis S. Dominici.*

2 *Fœlicis.*] Comitis de Guſman, in agro Oſmenſi.

3 *Mortuo.*] B. Dominico de Silos.

4 *Apes.*] Viſæ ſunt ab eius parente circa os Dominici volitantes apes.

5 *Sacerdos.*] In monaſterio B. Dominici de Silos, cùm de more ad populum conuerſus ſacerdos diceret debuiſſet; Dominus Vobiſcum: hæc alia protulit verba; *Ecce Reſtaurator Eccleſiæ*; quod emendáre cupiens, iterum ac tertiò conuerſus nihil aliud proferre potuit.

6 *Ioann. Manuel.*] Filius Manuelis infantis Hiſpanici & nepos Ferdinandi ſancti.

7 *Cœnobio.*] Ad quod transferri curauit, anno 1318. Cuius ſepulcro hæc inſcripta ſunt verba, S. IOANNA MATER B. DOMINICI.

Ex P. Ioanne à S. Maria Dominicano in 2. part. Vitarum SS. Virginum ordin. I. & III. S. Dominici.

SANCTVS ROCHVS Vir nobilis.

RECTE à ʼMonte Peſſulano ſanctus Rochus ; Ab Academia Medica, præſens in peſtem pharmacũ. Hic ex matris vtero cruce inſignis prodiit, vt hoc ſalutari ſuſcepto ſigno, ad bellum ſacrũ, CHRISTI militiæ nomen daret, antequam haberet. Duodecimum natus annum, grandem coactam pecuniam, ex pa-

rentum vitâ functorum vendita ſupellectile, in pauperum manibus, Deo numerauit, & abſque ſimoniâ, partẽ ſanctitatis emit (pretioſa res eſt, magno conſtat ſanctitas.) Hinc curæ patrui commiſſis ditione & ſubditis, à patrio diſcedit ſolo, piámque induit laruam, quam ſola mors detrahet. Ad [2]Æquę-pendentis Noſocomium profectus, peſtiferâ lue correptis operam pro CHRISTO commodat, vbi cũ peſte, humani generis hoſte immaniſſimo, ſæpe congreſſus, [3] explicato ſolùm ſigno, vicit, & eodem illam abegit armorum genere, hoc eſt, Cruce, quo nos hoſtem alium teterrimum, Erebíque peſtem fugamus, Dæmonem. Sed ab eo licet hoſte toties victor, ab ardenti tamen victus eſt febre, & ab ignota manu, alatâ tranſuerberatus ſagittâ in crure; ne, (crediderim) poſt fugatas peſtes curreret ad

vanitatem, & contrà, vt per patiētiam ad clariorem volaret ſanctitatem. Ex eo morbo vbi conualuit, in alium incidit, qui in deſerto loco, vbi nihil erat pręter viam & viatorem, ſanctiſſimum virum coniicit ſub arborem; quæ ſi nullos tulit fructus, virtutum texit plurimos, cùm peregrino Rocho vmbrā præbuit. Ibi, diu iacuit corpus, non animus, & ſine cibo multos māſiſſet dies, ni [4] canis panem quotidie attuliſſet (valuit hic naribus, odoratus eſt ſanctitatē.) In patriam redux bello flagrantem, exploratoris nomine inſimulatur, & capitur: quibus accuſationibus dum os claudit virtus, carcerem aperit, ex quo illum poſt quinquennium peſtis in lucē educit, dum [5] in tenebras coniicit mortis. Affixum enim cadaueri hocce ſcriptum; [6] *(qui peſte affectus, Rochum inuocauerit, ſanitatem à Deo conſequetur)* piam detrahit

laruam; & patruus nepotem, ſubditi Dominum, Alexium ſuum Gallia, Italia Alexicacum, Eccleſia ſanctum ſuum agnoſcit. Vt honorificè ſepeliretur, pugna nulla fuit; ſed mœrorem inter & lætitiam, maxima. Verùm applaudente miraculis cœlo, vicit lætitia, quæ pro lacrymis, & næuiâ lugubri, feſtis ignibus, & cantibus ſancto Viro parentauit. Si iam peſtem ab alienis fugat corporibus, iure agit, antiquum inſequitur hoſtem.

NOTÆ.

1 M*Ontepeſſul.*] *Montpellier*, in Occitania.

2 *Aqua-pendent.*] Vrbis Italicæ.

3 *Explicato ſigno*, &c.] Hoc etiam illi contigit, Romæ, Placentiæ, & multis aliis in locis.

4 *Canis.*] Cuiuſdam nobilis, non longè ab eo loco habitantis.

5 *In tenebras*, &c.] Anno 1327. ætatis 31. 16. Aug.

6 *Qui peſte affectus*, &c.] Hoc probauit euen-

tus in Concilio Conſtantienſi: indictâ enimſupplicatione in honorem Sancti Rochi, & delatâ eius ſtatuâ, ſtatim vrbs, & ager Conſtantienſis à peſte conualuerunt.

Ex vitâ apud Ribad.

S. COLVMBA nobilis Virgo.

IN hac puella nobili, idem pene viderunt [1] Senones, quod Ioannes in Paleſtina, Spiritum Sanctum in columba. Moribus enim æquè ac nomine columba fuit, eáque tam candida, tam pudica, vt Diuini Spiritus hoſpes eſſe meruerit: quo adiuuante, quia [2] inter Aquilas volare noluit, ad cœlites ipſos euolauit. Illam expetierat Aurelianus Imp. filio ſuo vxorem (ſi modo abnegaret quē colebat Dei filium) ſed tantùm abeſt, vt

Columbâ, & liber à fera eſt dimiſſus. Quo facto efferatus Aurelianus, quæ noluerat animo, corpore [5] ardere Columbam iuſſit, eíque dari fumereas tædas, quæ nuptiales noluiſſet faces. Nihil tamen hic læſit ignis, quam Venereæ non exuſſerant flãmæ, & [6] imber de Cœlo lapſus, vt cæleſtem prohiberet violari pudorem, flammas extinxit in ligno, quas extinguere non valuit in Aureliano. Hic enim Columbæ [7] caput tandem abſcindi curauit, die Decemb. & anni poſtremo; quem dum purpureo inſcripſit charactere, Senonenſib. ſuis feſtum indixit, fecítque diem; Belléque reſpondit Columba Agno: Nam ſi primum anni diẽ, Sacer Agnus, CHRISTVS, ſuo tinxit cruore, vltimum ſuo purpurauit Columba; vt nimirum inter Agni & Columbæ ſanguinem, puriſſima eſſet, quæ flueret vita noſtra, aut vt naſcen-

tes Agni, moreremur Columbæ.

NOTÆ.

1 *SEnones.*] Gall. *Sens.* Ciuitas olim maxima Galliarum, Brenno Principe illuſtris, qui Romanam cepit vrbem.

2 *Inter equilas,* &c.] 1. Aureliani Imperatoris filio nubere noluit.

3 *Seducta,* &c.] Ex Oſeæ c. 7. n. 11. *Factus eſt Ephraim quaſi Columba ſeducta non habens cor.*

4 *Turpiſſimum,* &c.] Nimirum in Lupanar, vt Virginitatem amitteret.

5 *Ardere.*] Iuſſit domum incendi, in qua erat Columba.

6 *Imber.*] S. Columbæ precibus impetratus.

7 *Caput abſcindi.*] Anno à Chriſto nato 275. vltimo Decemb.

Ex antiquiſſ. M.S. Codic. & Baronio Tom. II.

B. PHILIP

BEATA PHILIPPA DE CHAMPTELIMAN *Pediſſequa nobilis.*

FACIT in hoc libello poſt mortem [1] Philippa, quod fecit in vita: Sequitur nobiles nobilis ipſa, ſed ancilla, & pediſſequa [2] nobiliſſimæ fœminæ Archiepiſcopi Vienenſis ſororis. Si tamen ancilla dicenda ſit, an Domina, quæ morti ſic imperauit, vt ſolo decennio [3] ſexdecim mortuos [4] mortua ſuſcitauit. Heu quid non potuit viua, quæ tantum potuit mortua, vt illi dominaretur, quæ omnibus etiam potentiſſimis dominatur Regibus? Et quiſquam ſtupeat, ſi cęcis duobus oculos reddidit? Foréſque carceris tribus aperuit captiuis? Nullo

negotio fores aperit & feneſtras, qui ædificia ipſa reſtaurat. Si octo periclitantibus in partu mulieribus adfuit, & earum ſeruauit fructus; facilè in limine vitæ conſtitutos introducit, qui terminum tranſgreſſos, ad vitam reducit. At quod rabie efferos quatuor, priſtinæ reſtituit ſanitati, mulierem cum marito, capitali diſſidentem odio, conciliauit; hominem à dæmonum liberauit præſtigiis; & id genus alia edidit miracula; ſe morientem aſcendiſſe loco & poteſtate, & ex ancilla, latè dominã factam eſſe probauit, nec iniuria: debuit enim potentiâ & miraculis præire, quæ corporeis licet heram ſecuta ſit paſſibus, virtutibus longè præceſſit. De quibus ſi abdidit, qui Philippæ vitam ſcripſit author; è tot tantiſque miraculis, ſatis coniicere poſſumus. Si enim ſummâ non fuiſſet animi demiſſione, ad tan-

tam non eueheretur gloriam, ab eo qui ſummus ima reſpicit; deſpicit ſumma: mortuos haudquaquam ſuſcitaſſet, niſi viuidam ſub pectore aluiſſet fidem: nec cæcis lumen redderet, niſi viua tenebras amaſſet ſuas: Demum tantis à Cœlo non donaretur præmiis, aut laborum mercede, niſi ancilla optima Diuino Numini benè ſeruiſſet.

NOTÆ:

1 P*hilippa.*] Ex loco nomine *Chargy*; oriunda apud Seguſianos.

2. *Nobiliſſima,&c.*] Dominæ de Norry.

3 *Sexdecim mortuos.*] *Ex monumentis Eccleſiæ ſancti Mauricij Viennenſis, in cuius clauſtro ſepulta fuit.*

4 *Mortua.*] Viennæ Allobrogum anno 1451. die 15. Octob. annos nata 39.

Ex Iacobo Gauterio, in Tabulis Chronolog. 15. ſæculo, p. 754. in poſtremis editionib.

CAPVT II.

OFFICIALES PALATINI.

SANCTVS PIPINVS Dux, & Maior-domus, ſeu Magiſter Palatij.

MERITO Dux fuit [1] Pipinus, qui [2] ſubditis ſuis ad pietatem, colendúmq; Deum dux fuit: qui in aula Regis mortalis & terreni, cœleſti ſeruiit & immortali: Qui verbi Diuini præcones tanto admiſit animi effectu, quantâ graſſantes in Galliam [3] idololatras generoſitate prohibuit. Meritò item [4] Maior-domus

fuit, quo maiorem in Clotarij, Dagoberti, & Sigeberti Regum aulis, nemo vidit, conſilio, fortitudine & iuſtitiâ: quibus [5] vitia Dagoberti regis increpuit, non ſemel, etiam cum vitæ periculo, & pietatem [6] Sigeberti, promouit. Conſiliariis vſus & amicis ſanctis Præſulibus Arnulpho Metenſi, & Cuniberto Colonienſi, recta ſuggeſſit Regibus, iuſta fecit: imprimis verò familiam ſic inſtituit ſuam, vt ſi arborem ex fructu, ex membris caput, ex familia & prole parentem, dicere quis poſſit, poſſit & dicere Pipinum patrem-familias ſanctiſſimum: Coniugem enim habuit Ittam vel Iduberġam, filias Gertrudem & Beggam, ſanctitate illuſtres. Inter alia pietatis officia ſolemne illi fuit peccata ſua, nudis pedibus, ſancto [7] Vironi aperire, quò veri pœnitentis gereret habitum, cùm pedibus ferret nullum: &

poſt detectos pedes, cōſcientiam meliùs retegeret. Sed ſi pedum calceamenta ſoluit vt Moyſes, ardentem rubum exhibuit Deus cum in eius exequiis [8] ardentes faces, medios inter ventos & ſtridentes auras, extingui non potuere. Tam claro idiomate Pipinum viuere aſſeruerūt, & in perpetuas lucere æternitates, qui præter cætera piè geſta, populares inter auras, aut Regis irati minas, non eſt paſſus in ſe Diuinæ gratiæ lucem extingui.

NOTÆ.

1 *Pipinus.*] Filius Carolomanni Principis ex matre Emegarde.

2 *Subditis.*] Brabantinis, quorum primus dux eſt conſtitutus.

3 *Idololatras.*] Danos, & alios Aquilonares populos.

4 *Maior domus.*] In aula Clotarij II. & Dagoberti I.

5 *Vitia Dagoberti.*] Auaritiæ & libidinis, quibus ad tempus indulſit rex potentiſſimus.

6 *Sigeberti.*] Tertij, ſancti regis.

7 *S. Vironi, &c.*] *Mireus in Faſt. Belgicis* 8. *Maij.*

8 *Ardentes faces.*] In eius tranſlatione à vico Landis ad Niuelleum oppidum è magno cerearũ facum numero, ne vna quidem eſt extincta, licet vehementior eſſet aura.

Mortuus eſt anno 647. 21. Feb. Landis, vbi tunc erat eius Palatium.

Ex M.SC. apud And. Querelamum in t.1. Script. Gall. & ex Guilelmo Gazeto in Annal. Eccl. Belgij.

S. VANDREGESILVS Comes-ſtabuli.

PROXIMVM regi locum à parentũ accepit ſanguine [1] Vandregeſilus: [2] regium verò gladium ab eo quem ex hoſte fudit. Sed CHRISTO militaturus vtrumque de-

ſeruit cum vxore, quâ authore coniuge, ad Moniales deſcendente, hic, magno leuatus onere, ad [3] montem euolauit, quem de ſuo fecit nomine præuolans falco, cùm D. [4] Baldrico in ſolitudinem dux fuit. Inde tamen breui reuocatus à Dagoberto tantam aulæ ſuæ iacturam non ferente, iterum mundo militare coactus fuiſſet & ſub terreno rege plus mœrere, quàm merere, ni validiſſimam hoc pacto adhibuiſſet manum. Cadit in altum cœnum coram rege ruſticus, quem cùm ex pietate Vandregeſilus erigit, ſolo tactu omnes illius excutit ſordes; & ſeipſum à ſordibus & mundo extrahit. Obniti enim non potuit tam potenti dexteræ Dagobertus, nec pedes auſus eſt morari, cuius tanta eſſet manus: poteſtatem fecit abeundi quò vellet, illíque militare dexteram regi, qui tam potenter armaſſet. Quare Bo-

bium in Italiam delatus Vandregeſilus, quod fecerat Comes-ſtabuli, preſtitit Monachus; pugnauit, ſed in ſe, animíque rebelles affectus: tandémque poſt decennij pugnam, inſignem reportauit victoriam. At vbi corona? Dedit preter Deum D. Audoenus, qui recèns inunctus Rothomagenſis Archiepiſcopus, accerſitũ attondit Vandregeſilum, eíq; Sacerdotalem contulit dignitatem & coronam. Solitudinis tamen amantiſſimus, [5] Fontanellæ, [6] Erchinoaldo piiſſimo principe concedente, cœnobium extruxit, vbi trecentos inter monachos, quibus diu præfuit ſanctiſſimè, animam Deo reddidit, apud quem coronâ donatus eſt immarceſſibili, quòd *poſitis etiam armis, metuendos debellaſſet* [7] *hoſtes.*

NOTÆ.

1 V*Andregeſil.*] Alias Vvando. Gall. *Vandrille*, filius Valtechiſi, vel Valchiſi; Patriâ Virdunenſis, conſobrini Pipini Regis.

2 *Regium gladium.*] .i. Comitis-Stabuli digni-tatem.

3 *Montem.*] Montem Falconis, 4. milliarib. ab vrbe Virdunenſi, diœceſis tamen Remenſis. Hoc autem nomine dicitur, à Falcone, qui S. Baldricum in ſolitudinem præceſſit, & ſacelli conſtruendi locum medijs in ſyluis aſſignauit. *Flodoard. l. 4. hiſt. Rem. c. 39.*

4 *D. Baldrico.*] S. Bovæ Abbatiſſæ Remenſis fratri, è ſanguine Regio. *Flodoard. hiſtor. Rem. l. 4. c. 38.*

5 *Fontanellæ.*] In agro Rothomagenſi.

6 *Erchinoaldo.*] Maiore-domus, ſeu magiſtro Palatij.

7 *Hoſtes.*] Carnem, mundum, & dæmonem.

De hoc Vandregeſilo Sigebertus in Chronico, ad ann. 692. In ſacro D. Bened. ordine, feſto colitur die, 22. Iulij.

Ex vita ab Anonymo contemporaneo,

S. GEREMARVS
Regius Conſiliarius.

FATO functis parentibus, immenſis illorum opibus virtutes emit, Geremarus, atque imprimis erga pupillos, viduas & egenos charitatem, quibus cùm res ſuas profudit, tantum adiecit animæ quantum largitionibus deceſſit arcæ: ieiunio verò, oratione & vigiliis, quorũ gratiâ alij ex aula decedunt, in aulam acceſſit. Ad illam enim propter ſanctitatis famam, à Dagoberto rege; ſuadentibus Eligio & Audoëno ſanctiſſimis aulicis, inuitatus venit, & in illa, Regio Præfectus eſt Conſilio, vt qui tam bellè ſibi, regi & regno conſuleret. Matrimonio coniunctus ſibi ſimilem ſuſcepit prolem, quæ tam pia

fuit, vt in Cœlum parentem præceſſerit, nec ſine miraculis. Antequam tamen Almabertus eius filius excederet è viuis, exceſſerat ipſe ex aula, eíque rege aſſentiente, ceſſerat omnia, præter nomen, quod poſtea dedit religioni in [2] Pentallio cœnobio; vbi quòd vitiis mortem inferre vellet, illi vitia inferre tentarunt. Sed deprehenſo [3] inſidiatore cultro, ab aſcetis ſuis Abbas diuiſus eſt corpore, nõ animo, licet gladius, ad eius necem erectus, & in lectulo collocatus, pupugiſſet animum, non corpus. Relicto cœnobio, in [4] ſpeluncam ſeceſſit S. Samſonis, quam pluribus abluit lacrymis, quàm olim fœdaſſet ſerpens cruoribus. Sed ab eo iterum loco, poſt quinquennium, ad cadauer [5] defuncti filij vocatus, alium incoluit, quem nube lucidâ ſignauit Cœlum, vt luci manſuræ ſignaret locum. Poſt humatum

enim Almabertum, naturæ inuerſo ordine, filij ſui hæres factus, ſuorum omnium ſcripſit hæredem Deum, in [6] Flauiacenſi monaſterio, cuius, [7] exoratus Deus, modum definierat nube de cœlo miſsâ. Inde poſt aliquot annos, [8] in Cœlum ſuſceptus, palam oſtendit eum eſſe Conſiliarium virum conſultiſſimum, qui non ſua, nec carnis, aut ſanguinis, ſed CHRISTI audit conſilia.

NOTÆ.

1 P*Arentib.*] Rigoberto & Aga Varandræ Comitibus, in agro Bellouacenſi. Gall. *Vardres.*

2 *Pentalio.*] Diœceſis Rothomagenſis, ad fluuium Lizanam: cuius iam nihil ſupereſt.

3 *Inſidiatore cultro.*] In eius lectulo collocatus fuerat culter erecta cuſpide, vt poſt nocturnas preces, in lectum irruens Geremarus, incautus occideretur, ſed præter morem manu prætentans lectum, gladium inuenit. Quare poſtridie congregatis fratribus vale dixit & de licentia S.

Audoeni Rothomagen. Antiſtitis ſeceſſit in ſpeluncam.

4 *Speluncam S. Samſonis.*] Sic dictam quòd Serpentem in ea commorantem occidiſſet.

5 *Defuncti filij*] In Aquitania, quò cum rege profectus erat; Cadauer autem Vvaſandram relatum fuerat, propter viri nobilitatem.

6 *Flauiacen.*] Gall. *Flay.*

7 *Exoratus,&c.*] A. SS. Audoeno & Geremaro.

8 *In Cælum ſuſceptus,&c.*] Anno 665. Maij.20.

Ex Vincent. Bellòuac. l.23.c.98. Ant. d'Yepez, & MS. apud Script. Gall. ab And. Quercet. collect.

SANCTVS [1] *RADO* [2] *Gazis Regiis Præfectus.*

SANCTVM quis negarit Radonem, cùm ipſi [3] codices ſacri aſſerant beatum? quòd inuentus ſit ſine macula & poſt aurum non abierit. Verſatus eſt inter auri aceruos, regis

Dagoberti ærario Præfectus, nihil tamen auri fulgor aciem eius hebetauit mentis, aut pectus incendit. Spreuit aurum, quòd totus eſſet aureus & theſauri regij pars potior. Aliis autem ac præcipuè militibus (qui eum colebãt vt Sanctum, quod Mammon non coleret Deum) tam ſua iuſtè tribuit ſtipendia, quàm iniuſtè nihil ſibi, eóſque exemplo inſtituit ſuo, aliena non rapere. Sed quî piceâ manu raperet aliena, qui tam profusè ſua prodegit CHRISTI nomine, tũ in obuios quoſque mendicos, tûm in religioſos veros? quibus germanos ſuos natu maiores ſecutus, [4] Adonem & [5] Audoënum, cœnobium ad fluuium Matronam erexit, quod de ſuo nomine dixit [6] Radolium, vt quod genuerat & dilexerat tanquam prolem, nominis ſui (vti fieri ſolet) faceret & hæredem. Plura de illo, aut facta aut miracula

non tranſmiſere ad nos priora ſæcula; quòd ex his cōnſtare putarent ſatis, eximiam Radonis ſanctitatem ; quæ nōn ferro tantùm ; vt plurimorum Martyrum, ſed nec auro ceſſerit, quod eſt paucorum : & in illuſtribus numerandum miraculis, inter tot illicebras, tam alienum à cupiditatibus animum. His adde, ex auro, (quod mireris) intacto, pretioſiſſimam ſibi Radonem conflaſſe coronam.

NOTÆ.

1 R*Ado.*] Sueſſionenſis patriâ, filius Antharij viri nobiliſſimi ; frater Sancti Adonis & Dadonis, ſiue Audoeni, Gall. *Ouyn.*

2 *Gazis.*] Seu ærario regio præfectus, aut vt dicitur in vita S. Audoeni, theſaurorum Regalium ſummus Procurator.

3 *Codices ſacri.*] Eccl. cap. 31. *Beatus vir qui inuentus eſt ſine macula, & qui poſt aurum non abijt.*

4 *Adonem.*] Qui Iotrenſe fundauit cœnobium, Gall. *Ioarre,* diœceſ. Meldenſis.

5 *Audoenum.*] Qui Reſbacenſe monaſterium, in

in Brigienſis ſiluæ receſſibus, ad Raſbacem fluuiolum. Gall. *Rebais*, vel *Robez* in agro Meldenſi fundauit.

6 *Radolium.*] Vulgò, *Ruel ſur Marne.* Situm autem eſt hoc cœnobium infra Monaſterium Iotrenſe, iuxta vrbem quæ dicitur firmitas Auculphi, vel firmitas ſub Iotro, *la Ferté ſouz Ioarre.*

Ex Fridegodo in vita S. Audeni, & Martyrol. Gallic.

S. MAVRONTVS *Siluis Præfectus Regiis.*

PVGNANDVM [1] Mauronto non fuit cum carne & ſanguine vt ſanctitatem aſſequeretur, ab illis habuit, qui [2] patrem, matrem, & ſorores omnes habuit Sanctos, & Diuis adſcriptos. In mundum vnum primò pugnare debuit, quem ideo fugit, ratus in huiuſmodi certamine pedibus, non

manibus coronam adepturum ſe. Ab rege enim Clodouæo II. ſiluis [3] Præpoſitus Regiis, Eremos didicit, quarũ poſtea vnam incoluit, vbi reliquum hoſtem ſuperauit dæmonem [4] Broilum is locus fuit, in quo ſuis ſumptibus templum ædificauit & cœnobiũ, poſtquam D. Amandus inter celebrandum, ter volitantem circa eius caput conſpexiſſet apem, indéq; conieciſſet, in eo eſſe florem, illúmq; Virginitatis, qui à Deo expeteretur. Quã erexerat domum Princeps, rexit Abbas, & in ea Amandum inter & [5] Amatum, Præſulem vtrumque Traiectinum illum, hunc Senonenſem, amans non eſſe non potuit; ab illo datus in Chriſti vincula, hunc ab rege datum ſeruans in vinculis, ex quibus ſibi alia fecit amoris vincula Maurontus & captiui ſui captiuus fuit. Poſt XII. autem annos quibus præfuit, abiit ad ſu-

peros inſignis miraculis, atq; eo præſertim, quo ab [6] effreni equo abreptus per inuia, paucorum menſium puer (cum D. Richario parente ſuo luſtrali eum geſtante) cecidit illæſus, & equus cum pio onere tartareum poſuit furorem. Ex eo tempore, neq; adeo multis ab hinc annis, ad homines è ſuperis exſcendit, [7] Duacenámque vrbem, cuius olim Dynaſta fuerat, à circunfuſo hæreticorum exercitu liberauit, muros ipſe circumcurſare viſus, liliis vndique veſtes conſperſus, quò lilia cordi cœlitibus eſſe aſſereret, & peſtiferum arceret hæreſeos venenum.

NOTÆ.

1 M*Auronto.*] Gall. *Maurant.*

2 *Patrem*] Patrem habuit. S. Aldebaldum, matrem S. Rictrucem; *de quâ inferius, in familia ſacra.* Sorores, Adelſendem, Clotſendem, & Euſebiam quæ matrem ſecutæ in cœnobium, comitatæ ſunt & in cœlum.

3 *Siluis*, &c.] Magnus tunc dicebatur ſaltuarius, *Grand Foreſtier*, nunc autem, *Grand Maiſtre des eaux & foreſts. Ex vitâ S. Richarij quæ extat inter opera Alcuini.*

4 *Broilum.*] Seu Broilus, Gall. *Bruel*, prædium ſancti Mauronti, nunc *Meruille.*

5 *Amatum.*] Archiepiſc. Senonenſem perfidiæ crimine apud Regem Theodoricum accuſatum, & ideo Peronam miſſum in exilium, & in monaſterio S. Vltani degere iuſſum, quoad Vltano mortuo, datus eſt S. Mauronto in Broilenſi monaſterio ſeruandus.

6 *Ab effreni equo*, &c.] Abeunti S. Richario, qui SS. Adelbaldum & Rictrudem inuiſerat, dedit Rictrudis Maurontum puerum, vt quem de fonte ſacro ſuſceperat benedictione ſua muniret, ſed vbi equo ſedens vir ſanctus infantem vlnis excepit, equus malo agitante dæmone ita cœpit ferocire, & tanto impetu currere, vt de vtroque actum eſſe putaretur.

7 *Duacenam*, &c.] Anno 1556. Die ipſo Epiphaniæ mane, Gaſpar Colignius Hugonottorum in Galliâ Anteſignanus ad muros Duacenſes acceſſit cum exercitu, vrbémque cepiſſet, ni S. Maurontus æditūum excitaſſet, & ære campano, vt moris eſt, ad matutinas preces ciere iuſſiſſet ciues. Pulſatâ enim campanâ & ad arma capienda conuocare viſâ, concurrerunt ciues, & hoſtem in fugam dederunt. In medijs autem ciuibus ad horam integram Viſus eſt S. Maurontus monaſticam quidem indutus veſtem ſed cucullo lilijs

vndique conſperſo. *Ex Vvion in ligno vitæ.*

Martianis obiit 5. Maij. anno reparatæ ſalutis 705. *Miræus in faſt Belg.*

Ex vitis SS. Rictrudis per Hubaldum, & Richarij per Alcuinum.

CAPVT III.

BELLI ADMINISTRI.

S. GENGVLPHVS ſummus militiæ Præfectus.

VT Venerem fugeret, ſecutus eſt Dianam adoleſcens nobilis, & in ſiluis morum venatus eſt probitatem, animíque candorem, quē in otio perdidiſſet. Grandior factus, militiæ nomen dedit, à quâ, ob præclarè geſta, magnum recepit, illíque ſub Pipino Rege [1] præfuit tam ſanctè vt domum è bello rediens, puras ab iniuſtis cædibus aut rapinis oſtenderit manus. [2] Mercatus enim fontē in Campania pellucidum

miraculo in villam ſuam longè diſſitam, [3] varennas dictam tranſtulit: in quo poſtea vxor eius Venus altera, cum ſordes ſuas aut adulterij ſuſpicionem eluere vellet, non aquas ſed flammas reperit, aut in eius aquis, non vitæ initium vt alia, ſed finem propè accepit. Enimuerò immiſſum altiùs brachium, quo marito ſuo, ex pacto, ſi maneret illæſa, probaret innocentiam, miris ignibus tam aduſſerunt aquæ, licet frigidiſſimæ, quàm aduſſerat libidinis ardor illius animum. Quibus ſuper & accenſus Gengulphus, at longe magis Diuini amoris facibus, abiit in [4] Burgundiam, vbi relicto impudicæ toro, nupſit, quam ſemper amauerat, pietati. Sed hoc indignè ferens vxor, & vt voluptati indulgeret liberiùs, Martem ſuum Venus impudica, aut generoſum virum vxor peſſima, de medio per adulterum ſuſtulit, quam-

uis non impunè. Nam vir ille Sanguinum, vix allato necis nuntio, fœtidiſſimam animam effuſis viſceribus egeſſit, quæ rectam quam nunquam viuẽs tenuerat viam, moriens tenuit, vt infernum peteret, inferiùs abiit. Adultera verò deriſis turpi dicterio quæ per ſanctum maritum fiebant miraculis (multa fecerat cùm ſaccæ illius exuuiæ ad Varennæum templum, quod ſuis excitarat ſumptibus,[5] aduelierentur) tam fœdè vixit & tam digna ſannis, vt ſingulis diebus veneris, nimirum ſuis, [6] nullum verbum protulerit, quin aliud quiddam, iuſto Dei iudicio, poſticum addiderit, quod illa Venere verecundior mea charta efferre non auſit, ne quid efferat abſonum.

NOTÆ.

1 PRæfuit] Munere Comitis-Stabuli perfunctus, aut exercitui cum Imperio Præfecti.

2 *Mercatus fontem.*] E bello redux, & per Campaniam tranſiens, ad fontem deflexit cum Domeſticis, vt aliquantiſper quieſceret comitatus, & vires reſtauraret. Eo tempore acceſſit & ruſticus, cuius fons & ager erat, qui rogatus an fontem vendere vellet, ſubridens annuit, ratus pecuniam & fontem ſe habiturum, ſed aliquot poſt diebus, fons ibi aruit & Varennis emicuit, refixo quem terræ infixerat Gendulphus baculo.

3 *Varennas.*] In finibus Campaniæ, an iuxta Virdunum, an iuxta Lingonas diſceptatur, vtrobique fons eſt, templum eius dicatum nomini, idem nomen.

4 *In Burgund.*] Nimirum Auallum, Patriam ſuam.

5 *Aduceherentur.*] Curantibus eius amitis Vildetrude & Villegoſa Virginibus.

6 *Verbum nullum*, &c.] Pipinus rex audita huius rei famâ, miſit qui rei veritatem explorarent, & ita ſe habere comperit.

Vixit circa ann. 754. feſtus autem illi dies eſt Maij 11,

Ex veterib. MS.

S. GERLACVS
Tribunus militum.

SVBLATO è viuis[1] Gerlaci corde aut vxore (idem penè fuit) quo terrena diligeret, nõ habuit; vt exceſſit illa, abiit hic è mundo, loricâ pectus armatus & cilicio, non vt carnem protegeret, ſed vt debellaret. Expiatis Romæ, quò nudis iuerat pedibus, apud Eugenum III. conſcientiæ maculis, in Ieroſolymitano Xenodochio ex iniuncta pœnitentia ſeptennio miniſtrauit; vbi Tribunus olim militum,[2] porcorum duxit agmen: quo in munere omnis illi ager, pugnæ campus fuit & victoriæ, fœdóque milite de fœdis hoſtibus carne, mundo, & dęmone triumphum reportauit. Inter has ſordes benè lo-

tus,in patriam [3] rediit , non longè à Traiecto diſſitam celebri ad Moſam vrbe , & candidum Præmonſtratenſis ordinis ſumpſit habitum. Sed in cœtu diutius manere cùm non poſſet viduus ac gemens,palumbus,in annoſa atque ad radices concaua miræ amplitudinis quercu,nidum ſuum poſuit ex paleâ,quem ad annos XIV. aquâ & [4] hordeo paſtus incoluit,ſingulis quoad valuit diebus,ad D.[5] Seruatij accedere ſolitus; à quo diuinitùs è cœlo demiſſo ad [6] agonem vltimum inunctus piiſſimus cliens , belli peritiſſimum ſe Tribunum geſſit in dæmonem , ſic enim pugnauit ac vicit , vt (quod pugnantes ſolent) neminem occiderit,ſed quod inſolens eſt, multis [7] vitam reddiderit mortuis.

NOTÆ.

1 GErlaci.] Ex Falcoburgenſi tractu prope Traiectum ad Moſam, Ruremundenſis diœceſeos, olim Metropoli Remenſi ſubditæ.

2 *Porcorum.*] Paſtor porcorum, & aliorum pecorum Xenodochij.

3 *Rediit.*] Concedente Pontifice Adriano IV.

4 *Hordeo.*] Cineribus mixto.

5 *D. Seruatij.*] Sanctitate & miraculis notiſſimi Epiſcopi Tungrenſis, cuius corpus Traiecti ad Moſam, in illuſtri baſilica, in eius honorem erecta ſeruatur.

6 *Ad agonem vltimum*, &c.] Cum nullus ad manum eſſet ſacerdos, qui extrema illi miniſtraret Sacramenta, acceſſit Diuina diſpoſitione, ſpecie venerandi ſenis D. Seruatius, à quo Sacramentis ritu Catholico munitus, Pridie Epiphaniæ obdormiuit in Domino, circa annum 1170. Feſtiuitas tamen in ſecundam feriam quæ Diem Pentecoſtes antecedit, transfertur.

7 *Vitam reddiderit mortuis*, &c.] Multa alia fecit miracula, poſtquam ex altiſſima fouea, in qua Sepultum fuerat Sanctiſſimi viri corpus, emerſit, cum cruce Ieroſolymitana & cilicij parte.

In Litania tamen Publicâ, ſubmiſſâ voce inuocatur à Ruremunden. quòd nondum à ſede Apoſtolica in album SS. ſit relatus.

Ex Officiis propriis Eccl. Ruremund. Martyrol. Gall. & Miræo in Faſt. Belg. ad 5. Ianu.

S. SEBASTIANVS *Dux Cohortis.*

EIA age penna, en tibi proponitur ſcopus & acuminibus, qui tam multis olim patuit ſagittarum pennis & acuminibus: SEBASTIANVM dico, quem quot pennatæ pupugerunt ſagittæ, tot pennæ, niueâ velut in charta, purpureo charactere inſcripſerunt, FIDEI PROPVGNATOREM, Diuini amoris trophæum, Chriſtianorum militum ducem & Coryphæum. HERCVLEM CHRISTIANVM. Galliæ decus, Narbonæ gloriam. ORBIS MIRACVLVM. Sed heu! quàm ſæuis interpunctionibus! Vnaquæque enim dum pingit, pungit, & acerbiſſimi doloris punctum ponit. Natione Gallus erat, patriâ

[1] Narbonæus, perilluſtris ſanguine, Diocletiano Imp. in charis eximius, & eius [2] primæ dux cohortis, nemine præter Deum, paucóſque Chriſtianos, conſcio, Chriſtianus; vt pro fide laborantibus ſubſidium ferre poſſet, eò tutiùs, quò tectiùs. At quem occuluerat prudentia, detexit zelus & charitas. Cromatius vrbis Præfectus bellum pro religione [3] indixerat, Marco & Marcellino fratribus ac nobilibus Romanis: Condicti dies & locus (is fuit Nicoſtrati & Zoæ domus, carcer publicus.) A Cromatio milites, Tranquillinus & Marcia, ſenes: ætate florentes & formâ, mulieres duæ; & puelli aliquot lectiſſimi, horum nobilium parentes, vxores & liberi. Arma, preces & lacrymæ. Ad hanc pugnam, ſuarum eſſe partium ratus, aduolat Sebaſtianus (nimirum dux opus erat, & primæ notæ, in tam pericu-

loſo certamine.) Nam capularis ſenex, anús decrepita, formoſa mulier, & bellulus puer, imbelle quidem genus hoſtis, ſi modo non certent cum prole, coniuge & parente, ſin autem ſecùs; potentiſſimum. Initur pugna, ſine ſanguine, imò plurimo & penè victore; hoſtes enim domeſtici, in paternis latentes præcordiis, caro & ſanguis, arma ponere, & victas dare manus ſuaſiſſent, niſi CHRISTI militibus, dux pius animos feciſſet, quibus parta victoria eſt. In ea, pro ſanguine fuſa eſt aqua, eáq; ſalutaris, qua[4] plures LX. cum ipſo (quod mireris)[5] Cromatio tincti ſunt & CHRISTO renati. Sed his ad Dioclet. perlatis, continuò Sebaſtianum telis confodi, & vt citiùs auolaret è viuis, pennis operiri iuſſit. Ad infœlicẽ ergo, imò fœliciſſimam religatur arborem; alatæ vndique volant mortes, & tam multis transfigi-

tur ſagittis vt an auis dicendus ſit, à pennis, an erinaceus à ſpiculis, aut ſilua ab arboribus, dubio ſit locus. Verùm Sebaſtiani ſcrutatæ ferro viſcera ſagittæ, nihil præter conſtantiam repererunt: eíque vitam eripere nõ valentes erubuerunt. Licet enim multis aliis occidendis, ſatis eſſent, vni tamen generoſo Sebaſtiani animo expellendo, non fuere ſatis: Secundo fuit opus Martyrio vt pelleretur, & pars altera, anteriori concolor, fieret, dibaphóque ornatus vir nobiliſſimus, poſt inſignes victorias triumpharet. Quare [6] ſanitati redditur, inſectorem ſuum [7] adit Diocletianum, quocum ita conuenit, vt virgis & fuſtibus cæſus, voti compos, hoc eſt, vndique purpuratus abſceſſerit in Cœlos. Poſt eius mortem, corpus in cloacam iniectum hæſit ad arborem, ſuſpendio tertium conſummaturum martyrium: Ex quo à Lucina

tina nobiliſſima matrona ereptum, ad pedes principis Apoſtolorum (vt pio Principe dux excubaret) ſepultum eſt, ann.286. Diocletiani III. Ab eo tempore, in peſtis ſagittas, vocatur Sebaſtianus, qui ſuas opponat, nec fruſtra: Tanto enim duci & tot armato ſagittis, quis non cedat hoſtis?

NOTÆ.

1 N*Arbonæus.*] Narbone natus, ex patre nobili Narbonenſi, & matre Mediolanenſi. Vnde à quibuſdam dictus eſt Mediolanenſis.

2 *Primæ cohortis.*] Tunc temporis illuſtrium virorum munus.

3 *Indixerat.*] Indulſerat parentibus Marci & Marcellini vt in eos lata differetur ſententia, quoad à religione Chriſtiana reuocaſſent.

4 *Plures.* 60.] Hortante illos Sebaſtiano, lux repente de cœlo refulſit, & Chriſtus Dominus cum Angelis 7. Sebaſtianum accedens oſculatus eſt, & his verbis allocutus; *Mecum ſemper eris*, quo beatifico incenſus promiſſo, pugnam vrget piam, & quotquot aderant ad Chriſti fidem adducit.

5 *Cromatio.*] Et tota eius familia, quæ mille & quadringentis conſtabat vernis.

6 *Sanitati redditus.*] Curante Irene viduâ Sanctiſſimâ, quæ ex loco Martyrij in domum ſuam tranſtulerat Sebaſtianum.

7 *Adit Diocletianum.*] Quem verbis aſperioribus ita caſtigauit, vt in ſe mortalia verbera deriuarit.

Anno 286. 2. Ian.

Ex antiq. MS. C. apud Surium.

S. ARNVLPHVS *Miles.*

MILITIAM profeſſus [1] Arnulphus, Chriſtum imprimis ſecutus eſt ducem, pro quo & pauperibus pugnauit ſæpe, plurimáque accepit, at non indecora vulnera. Ab Dynaſta enim conſanguineo ſuo armiger factus, quòd belli calleret artem, tot hoſtes habuit quot cõſeruos, in quos armiger ſibi eſſe debuit, & patientiæ

clypeo muniri, cùm ab ĩis quotidianas ſuſtinuerit pugnas, quòd in pauperum gratiam ex bonis herilibus frequentes ageret prædas. At tam victor ex his euaſit pugnis, quàm victus, & tot retulit victorias & coronas, quot vulnera. [2] Deprehenſus ſemel cum pio quod pauperibus deferebat onere, & explicare coactus, auſpicatò, quod ſudes fuerat eorum oculis, ex carne factum eſt lignum in aſſulas diuiſum, ſed aridum licet, non pœnitẽdos tulit fructus. Hoc enim percuſſi ligno, aut miraculo, inuidiam poſuere conſerui, & veniam petiere: Arnulphus verò ad egenorum amorem magis incaluit. Aliàs apud herum inſimulatus, quod horreum exhauſiſſet eleemoſynis, dura audiit verba, & duriora verbis tulit verbera; ſed tritura fuit, nam illis flagellis, tantum frumẽti excuſſum eſt, vt domini ſui hor-

reum momento impleuerit; quo viſo herus, dandi quantum vellet in poſterum facultatem fecit, quod à tam diuite & potente dextera nihil eſſet, cur ſibi ab egeſtate timeret. Tandem generoſi militis in morē, ſanguinem ſuum fundere geſtiens Arnulphus, & Martyrio coronari, voti compos eſt factus; herum enim ſuum vt [4] ab hoſtibus eriperet, iiſdem ſe oppoſuit, à quibus captus ex infœlici arbore fidelitatis & charitatis [5] pependit anathema. Quæ ad eam arborem Cœleſtes luxere faces illi parentarunt, eiúſque innocentiã cum innumeris aliis [6] miraculis, oculatis aperuerunt.

NOTÆ.

1 *ARnulphus.*] Pater Gaufridi Epiſcopi Cameracenſis.

2 *Deprehenſus.*] A conſeruis.

3 *Incaluit.*] Cum vidit aſſulas in cibos iterum reformatas.

4 *Ab hoſtibus*, &c.] His in ſemitæ anguſtijs ex aduerſo conſpectis, conſilium fugæ hero ſuo ſuggeſſit & equum, quem habebat velociſſimum, dum ipſe moraretur hoſtes: qui ab ijs tandem captus de arbore ſuſpenditur, vbi eorum conatus pendens ridebat, donec apprehenſis arboris ramis in eius humeros inſilierunt & fractâ gulâ morti dederunt.

5 *Pependit.*] Circa annum 750. 29. Ian. quo die colitur Ciſonij in Diœceſi Cameracenſi.

6 *Miraculis.*] Quibus febres & gutturis dolores ſanauit.

Ex Buzelino in antiquit. Gallo-Flandr.

CAPVT IV.

IVSTITIÆ ADMINISTRI ET VIRI FORENSES.

S. ROMANVS. [1] *Cancellarius.*

NON diſſenſit à [2] Liliis quæ geſſit, Romani manus; tam pura fuit, vt ad pedũ ſuum, [3] Deo imperante Rothomagenſes inuitarint, & à piiſſimo Rege Clothario II. renitentem licet, obtinuerint. Inunctus [4] Epiſcopus, à Iuſtitia non diſceſſit & liliis Excancel-

larius, nam furem proſcripſit à Neuſtria Mercurium, mutato in ſacram ædem illius fano, & puriora nutriit mente lilia, quàm tractauerat dextera; quibus aſſuetus, Venerem Rothomagi ferre non potuit, & ſuem inter oues ſuas ſacer paſtor; templum eius incendit, quæ Rothomagenſium corda incenderat fœdè. Idola præterea damnauit flammis, & illorum cultores aquis, iiſque ſalutaribus; quibus abluti, ſuas in eo igne viderunt tenebras. Sed in hoc maximè Romani enituit Iuſtitia, cùm immenſæ magnitudinis Draconem, multo diuini ſanguine cruentum, iniectâ in eius collum ſtolâ, qua ſacrificantes vti ſolent, ex antro eduxit, & medio in foro iuſſit exuri. Ad hoc facinus, comites ſibi adiunxerat duos, capitali iudicio damnatos, furem & homicidam; at ille, vt ſunt timidi fures, ad monſtri aſ-

pectum, aufugit; hic verò ſtetit cum duce ſuo imperterritus; quid quòd iuſſus, vincula Draconi iniecit, ſua multorúmq; aliorum diſſoluit & crimen eluit. In gratiam enim D. Romani, quotannis homicidij reus vnus, Rothomagi libertate donatur, vbi die Chriſto aſcendenti ſacro, in ſupplicatione publica ſancti Romani feretro collum ſubiecit, quod aliàs tortoris gladio ſubiiciendum erat. Poſt exuſtam feram, in gratiarum actionem, ſacris operante Diuo, eius capiti lux affulſit puriſſima, & luce manus; quâ ſe ad cœleſtem vocari lucem, & benedictum ſe à Deo in terris, móxque futurum in Cœlo fœlicem auguratus Benedicti & Fœlicitatis filius, ab hominum ſeceſſit oculis, vbi lentâ febre correptus tantus vir, atque adeo de homicidis benè meritus, ab omnium cruentiſſima homicida [6] morte ſub-

latus eſt, ſed illi condonandum, cœca eſt.

NOTÆ.

1 C*Ancellarius.*] Sub Clothario II. Referendarij munus I. Cancellarij, de manu Regis accepto annulo exercuit.

2 *Lilijs.*] In ſigillo Regio.

3 *Deo Imperante.*] Diſſentientibus electoribus, diuinitus reuelatum eſt, Romanum qui tum erat Cancellarius eligendum eſſe.

4 *Epiſcopus.*] Poſt mortuum Hidulphum.

5 *Benedicti.*] Benedictum habuit patrem, ſummum Clotharij Conſiliarium: Matrem verò nomine fœlicitatem ex Regum Francorum proſapia.

6 *Morte ſublatus eſt.*] Ad ann. 635. die 23. Octob.

Ex monum. Eccl. Rothomag. per Paſchaſ. Robinum.

S. GREGORIVS Præſes, ſeu Iudex.

SEDIT annos XL. apud Heduos Præſes aut Iudex tam alienus ab iniuſtitia, quàm infenſus criminibus. Cum [1] Armentaria vxore mortua [2] mundum ſepeliit, & pertæſus iugi, oleum ſuſcepit. Electus enim & inauguratus eſt Lingonenſis Epiſcopus: quo in munere veniam ſceleribus à Deo deprecatus eſt quibus irrogare ſupplicia ſolebat, & pro alieno ſanguine ſuas ipſius fudit lacrymas, ex iudice Paſtor. Ipſo ſuæ inaugurationis die, vt pedum tetigit, paſtorem egit, lupos ab ouibus iuſſit abire, dæmonas [3] ab Energumenis. E caſtro autē Diuionenſi, vbi ferè ſemper eſt moratus, eius loci Dynaſta;

ſingulis noctibus, tēpla clam obibat: quorum valuæ eius digito vel leuiſſimè attactæ continuò [4] patebant. (Digitus hic erat Dei, cuius totus erat Gregorius.) Ibi [5] decantatis in cœlitum choro pſalmis, domum redibat ad ſomnum, quo ſe mortali corpore necdum exutum agnoſceret. In [6] aquæ potu, obſcuro vtebatur ſcypho, ne quid biberet vanitas videre poſſet. Demum ſi quantus fuerit Gregorius ſcire volueris, illum ſuo metire baculo, qui abſente etiam Domino, Energumenis cum Crucis ſigno applicitus, [7] dæmones fugæ dedit. Potentiſſimus eſt qui tantos abigere canes poteſt.

N O T Æ.

1. ARmentaria.] Ex Senatorio ſanguine fœmina.

2. *Mundum ſepelijt.*] Ad Deum conuerſus pietati ſe dedit.

3 *Ab Energum.*] Solo ſigno crucis Dæmones abegit.

4 *Patebant.*] Hoc detexit Diaconus quidam eius Domeſticus, qui furtim eum ſequebatur, vt videret quid ageret S. Epiſcopus.

5 *Decantatis,*&c.] Illo ingreſſo magnum aliquandiu erat ſilentium, poſtea verò per tres horas multorum audiebantur voces cantantium.

6 *In aqua potu.*] Obſcuro vtebatur ſcypho, quem cum offerebat pincerna, aquam infundebat, vt crederetur infundi vino, cùm mera tamen ſubeſſet aqua.

7 *Dæmones fugæ dedit.*] Alia ſi cupis miracula, *V. Surium ad iiij. Ian.* Neptem ſuam à quartana liberauit, cum patrui lectum tetigiſſet. Cum efferretur, effractus eſt carcer, & omnes captiui vinculis ſoluti. Corpus item, poſt multos annos, à vermibus permanſit intactum.

Obijt Sanctiſſimus ſenex, annó ætatis 90. à Chriſto nato circiter 530.

Ex S. Greg. Turonenſi l. de Vitis Patrum, cap. 7.

S. LIPHARDVS Judex.

LIPHARDVS malorum iudicum Iudex, bonorum patronus, ſedit Iudex in reos, ſeſſuus olim in iudices, qui cùm leges humanas curent, violant diuinas. Multis annis ius dixit Aureliis, in patria ſua, adeo ſanctè ac religiosè, vt plures ſibi deuinciret animos, quàm ligari curaret corpora. Nullius apud eum ponderis fuit aurum, quo iuſtitiæ lancem alteram iniquè deprimeret: nec cuiuſquã hominis gratia, apud eum tantùm valuit vt eius gratiâ diuini Numinis gratiam amitteret. Verùm ætatis anno circiter XL. vt animæ ſuæ cauſam ageret, forum deſeruit, codicéſque abiecit profanos, vt aſſumeret ſacros. In

Diaconorum gradum euectus ab Epiſcopo, altiorem habitationi ſuæ quæſiit locum, & montẽ aſcendit, in quo famem[1] cibario pane, ſitim[2] aquâ ſedauit. Heu quid bibiſſet, ſi Iudex aurum ſitiiſſet? Quid ſi iniquas comediſſet[3] iudiciarias ſportulas, quas eodem atque aromata nomine, Galli vocitare ſolent? In eo monte[4] Draconi vitã ademit, & alas, ac famę ſuę dedit, quæ in Eremum,[5] Antiſtitem adduxit Aurelianenſem, vt monte & ſanctitate conſpicuum Liphardum Sacerdotali etiam dignitate faceret ſublimem. Poſt Epiſcopum, alij acceſſere multi, quos ſanctiſſimus olim Iuriſperitus rectum & ius edocuit. Inter eius autẽ miracula, in poſtremis munerandum non eſt, quod nudum detexit, cùm operuit. Nudo enim mendicabulo ſtipem roganti, veſtes ſuas quas in dumeto ſubdolè mendicus

abſconderat, afferri cùm iuſſiſſet, Liphardus fraudem detexit, & vnâ eadémque veſte bis operuit nudum, qui non priùs indutus eſt veſtem quàm pudorem. Cui miraculo ſi addideris, manus vſum, mulierculæ à Lyphardo reſtitutum, num ſtatim affirmabis eum bonum fuiſſe iudicem qui ſic ſuum cuíque reddidit?

NOTÆ.

1 *Cibario pane.*] Vncia nimirum panis hordeacei, quem ſuis pinſebat manibus.

2 *Aqua*, &c.] Tertio quoque die tantùm bibere ſolebat, & parciſſimè.

3 *Iudiciarias Sportulas*, &c.] Gall. *Les eſpices d'vn procez.*

4 *Draconi.*] Per S. Vrbitium ſocium ſuum, cui baculum dedit ſub aſpectum ſerpentis conſtituendum, eo enim viſo Draco perijt.

5 *Antiſt.*] Marcum, nomine.

Cœlitibus eſt adlectus ann. circiter 530. 2. Iunij.

Ex Annal. Eccl. Aurelianen.

SANCTVS IVO
Patronus, ſeu Aduocatus.

SANCTVM ſi neſcias Iuonem, ex his diſce miraculis; auro non inhiauit aduocatus: Cauſas pauperum gratis egit cauſidicus. Quicquid habuit in clientes ſuos Patronus profudit. Vinum non bibit cùm iuri diſcendo daret operã ſcholaſticus: Ab opimo Sacerdotio, & Eccleſiaſtico magiſtratu, ſponte abiit Sacerdos: In pagis concionatus eſt vir diſertiſſimus. Num hæc prodigia virum ſanctum prædicant. Verùm vt penitiùs agnoſcas, vitæ acta ſingulatim ediſſero. IVO [1] Brito fuit, quem Angelus fore Deo gratiſſimum, antequam naſceretur, matri prænunciauit. Quo tempore Lutetiæ Pariſiorum & [2] Aurelia

Aurelianorum Genabi Theologiæ & Iuriſprudentiæ dedit operam, aquam ſemper; vinum nunquam bibit, non ſolùm quòd Muſas aquis delectari ſciret, ſed vt candidiores faceret mores. Vt ius tenuit, reddidit, cùm ſe pietati totum dedit: vt pauperibus redderetur, eorum cauſas diſceptauit [3] in foro: quibus nec verba dedit; nec vendidit, nihil tamen accepit mercedis. Ex eorum grege non erat, qui legibus exleges fiunt; & fundatum legibus ius, legibus euertunt. Nouerat enim quid recti ferret Codex, Lege, Non furaberis; *Paragrapho*, Contra multorum conſuetudinem. Illi aurea erat lingua, licet non eſſet manus, niſi vt in clientes ſuos aurum profunderet; in quorum manibus quoties ſua reperit digeſta? quoties vocauit in ius patronus eoſdem ſuos clientes, quos adeo deperibat vt iis paſcendis totus eſſet?

Huic pio muneri cùm operam daret, aliàs columba in eius caput & manũ deuolans, obtulit ſe in ferculum: aliàs [4] Chriſtus ipſe, peregrino habitu adfuit, qui quòd mediis in epulis, in has erumpens voces *Dominus vobiſcum*, diſparuit, Chriſtus apparuit. Eidem eleemoſynam petenti (vtpote hominum, Angelorúmque capiti, capitium ſuo tradidit, quod poſtea capiti ſuo repoſitum ſenſit. De aliis tam ſollicitus, ſui curam non amiſit, vt ex eo maximè colligere poſſis, quòd ſe ſpontè oblitus, vix ſibi veſtem niſi attritam; cibum aut panem ad VII. aliquando dies non miniſtrauit. Literis ſacris ſemper incubuit, quia quas legit interdiu, illas noctu aut lapidem ceruici ſuppoſuit [5] Eccleſiaſtico præpoſitus foro, tam fuit ſine oculis iudex, vt perſonam cuiuſquam acciperet, quàm ſine manibus patronus, vt mu-

nus admitteret. Poſt aliquot tamen annos, huius oneris pertæſus, in [6] parœciam ſeceſſit, vt orationi incumberet, & habendæ in pagis concioni, quòd vir perſpicaciſſimus videret, copioſores colligi fructus vt arborum, ſic concionum, in pagis, quàm vrbibus. Quid præterea? Hæret mihi aqua, imo ſancto Iuoni, cui effecto Crucis ſigno aquæ fluuij pontem ſuperantes diſceſſerunt, pontémq; aperientes, prærupti adinſtar montis hæſerunt, ſed nunquam ſibi & Iuoni fluxerunt largiùs. Iam enim à nobis effluxiſſent, ſi non ſtetiſſent Iuoni. Ex his tãdem ſanctum agnoſcis Iuonem? Quantus verò fuerit, ex his collige. Ab Angelo matri eſt prænuntiatus, vt Baptiſta, vinum non bibit quemadmodum Samſon: in lapide dormiuit vt Iacob: aquas diuiſit vt Moyſes: ieiunauit vt Antonius: Chriſtum ſu-

ſcepit peregrinum vt diſcipuli Emmaüntæi: Capitium dedit pauperi, vt chlamydem mediam Martinus: Columbam habuit capiti inſidentem, vt Gregorius: pauperum cauſas gratis egit, vt Nemo.

Si poſt [7] mortem de æterna hæreditate cum eo contendit dæmon, non eſt quod mireris Iuonem fuiſſe victorem: lite cadere non potuit tam bonus patronus.

NOTÆ.

1 *BRito.*] Ex pago Martiniaco.

2 *Aurelian. Genab.*] Gall. *Orleani.*

3 *In foro.*] Licet eſſet iudex Eccleſiaſticus, in alijs tamen foris pauperum cauſſas, præcipuè viduarum & pupillorum deffendebat, ita vt pauperum patronus apud indigenas audiretur.

4 *Chriſtus,* &c.] Cum omnes exciperet pauperes & ægros, etiam infectos leprâ, adfuit vnus præ alijs horrendus, quem ad menſam ſuam admiſit Iuo, & eâdem cum illo comedit lance. Sub finem autem prandij, ita reſplenduit ſanctus ille leproſus, vt totum colluſtrarit cubiculum, & in

hæc erumpens verba Dominus vobiſcum diſparuit.

5 *Eccleſiaſtico*, &c.] Primò, in Diœceſi Redonenſi (*de Rennes*) Officialis vt vocant: Secundò, in Trecorenſi (*de Triquier*) Vicarius Generalis.

6 *Parœciam*, &c.] *Lohans* dictam, cuius ab Epiſcopo conſtitutus fuit rector.

7 *Mortem.*] Anno 1303. ætatis ſuæ 50. die 9. Maij.

Ex Bulla Canonizationis apud Surium.

S. GENESIVS EXCEPTOR, *ſeu Scriba.*

PRO Geneſio ſtylum ſumimus, qui pro CHRISTO abiecit, & ſanguinem ſuum maluit, quàm atramentum fundere, vt impia exararet edicta. Arelate, ab iudice ethnico iuſſus mortis ſententiam ſcribere in CHRISTI diſcipulos

forenſis Tabellarius, experiri maluit quàm excipere, & vt libro adſcriberetur vitæ, tabulas proiecit mortis, ſeſéque ocyùs è foro proripuit. Hac ratione in eũ quamprimùm ira æſtuans Iudex [1] ſententiam dicit; cuius exceptorem vult eſſe eundem exceptorem ſuum ſeu Scribam, non ſepiâ ſed proprio ſanguine. At dum irarum flammis vritur iudex, [2] aquas ſalutares ſibi quærit Sanctus libellio, vt animam ſuam abluat, & in CHRISTVM augeat quem conceperat ardorem. Sagaci tamen conquiſitus ſatellitio, diu latere non potuit, nec lauari niſi medio in Rhodano, in quem cùm ſe proieciſſet, vt ſatellitum euaderet manus, nec ſuas nec carnificũ extinxit flammas; in aduerſa enim ripa captus, crudelitatem illorum, & ſuum in CHRISTVM amorem Geneſius ſanguine ſuo prodidit; quo ablutus Cœlos petiit, pal-

mâ pro ſtylo inſignis. Eodem in loco poſterorum pietas, quòd ſanguinẽ fundere non potuit, templum in trophæum erexit, vbi Diuo preces & lacrymas fundit: quod cum peteret aliquando Arelatenſium turba copioſa, è ponte in Rhodanum cecidit ſed Geneſij precibus ſubito [3] emerſit incolumis, vt noueris ex ſcribâ factum eſſe apud Deum potentiſſimum Patronum.

NOTÆ.

1 *Sententiam dicit.*] Imperat ſatellitibus vt vbique Geneſium repererint, occidant.

2 *Aquas ſalutares.*] Baptiſmatis, ab Epiſcôpo Arelatenſi, qui vel temporis anguſtijs impeditus, vel iuuenili ætati diffidens, ardentia diſtulit vota, ſed monuit pro Chriſto fuſum ſanguinem (ſi effundi contingeret) fore illi baptiſmum.

3 *Emerſit incolumis.*] Narrat hiſtoriam S.Hilarius Epiſcopus Arelatenſis, teſtis oculatus, qui aſſerit ponte ſubſidente, ingentem hominum multitudinem vtriuſque ſexus in Rhodanum ra-

pidiſſimum & altiſſimum fluuium (eo præſertim loco) cecidiſſe, die S. Geneſio Sacro, & omnes ad vnum emerſiſſe incolumes, ſine vllo diſpendio aut veſtis aut ornamenti.

Paſſus eſt circa annum 303. Diocletiano Imperante 25. die Aug.

Ex S. Paulino Nolano, &
S. Hilar. Arelat. Epiſc.

CAPVT V.

FAMILIA SACRA.

S. [1] VINCENTIVS Pater-familias.

RITE capitis functus eſt officio, ſubditis influxit membris, quâ prœditus fuit, ſanctitatem. Vxorem enim habuit S. [2] Valdrudem Comitis Vamberti filiam, vt nobilitate ſic ſanctitate non imparem : ex qua qui nati ſunt liberi Landricus, Maldeberta & Aldetrudis , virtutum magis paternarum quàm diuitiarum hæredes fuerunt. Maldeberta enim & Aldetrudis ſanctiſſimæ Virgines, & San-

ctorum inſcriptæ albo, in Malbodiano Parthenone cum S. Aldegonde amita ſua, ſanctitatem excoluerunt, quam hauſerant cum lacte. (Heu quàm pura eſt iunocentia quæ eſt lactea !) Sanctus verò Landricus Metenſibus decoratus infulis, ex bonis paternis, nihil magni fecit præter virtutes, quas vnas patrimonium & diuitias ſuas eſſe voluit. At quî Sanctus non fuiſſet Vincentius, qui cum Sanctis viris tam frequens fuit, illis præſertim, quos [3] ex Hibernia in Galliam ſecum, piam aduxerat prædam, [4] SS. Furſeum Foillanum & alios plures. In tanta luce non clarere, & inter tot ſoles non calere non potuit. Præterea S. Aubertum Cameracenſem Antiſtitem habuit pietatis parẽtem aut magiſtrum, cuius monitis tam audiens fuit, vt pium ab vxore ſuadenti diſceſſum, quò fracto matrimonij iugo,

in CHRISTI famulatum vterque liber abiret, obedierit. A tam ſancta & dilecta coniuge, qui CHRISTI causâ diſceſſit, cui nupſit, niſi ſanctitati? Si ex reliquis opibus, Aſceteria duo conſtruxit, Altumullarienſe & Sonegienſe, Sanctum egit Patrem familias, prouidit poſteris, quos CHRISTO & religioni, ſuo pariturus erat exemplo.

NOTÆ.

1 V*Incentius.*] Cognomine Maldegarius.
2 *Vvaldrudem.*] S. Aldegondis Sororem, è Regio ſanguine.
3 *Ex Hibernia.*] Quò à Rege Dagoberto miſſus iuerat.
4 *Furſeum.*] *S. Fourſy*, Peronæ patronum & Latiniaci fundatorem.
Mortuum luxit ſua familia anno 644. 14. Iulij, cuius Sacris exuuijs gaudent Sonegiæ in Hannonia.

Ex Molano, & Annal. Hannon. à Guilhel. Gazeto.

S. RICTRVDIS Mater-familias.

[1] RICTRVDI nobiliſſimæ, multarúmque imaginum fœminæ, S.Principem [2] Adebaldum iunxit virtus, ſanctus amor & [3] S.Amandus; ex quo coniugio naſci non potuit Proles non ſancta. Qui ex aluo primus prodiit [4] Maurontus, primis functus Regni muneribus, etiam in pietate primas obtinuit; à cuius non aberrarunt moribus Aldelſendis, Clotſendis & Euſebia ſorores ſuæ, quę cum matre in cœnobio [5] Martianenſi nupſerunt CHRISTO. Sublato enim è mortalibus & inter immortales recepto Adebaldo, in Cœlum, per medium Aſceterium, ſeriò cogitauit Rictrudis. At illi remoram inieciſſet,

Rex Clodouæus II. Dagoberti filius, ni paſſis abiiſſet velis. Quod ita contigit. [6] Regem exceperat conuiuio princeps fœmina, & Diues vidua, à quo ſub finem conuiuij [7] petitâ & impetratâ faciendi quod animo luberet, facultate, velum pandit ſacrum & capiti ſuo impoſuit. Hoc autem velo ſic nauigauit, vt ſacrum religionis tenuerit portum, nequicquam furente & tempeſtates excitante rege, qui à ſancto Amando delinitus, iras poſuit, Rictrudémque permiſit Diui Pneumatis ſuſurro: à quo in optatam deportata arenam, arenam fecit virtutum, quæ tamen arena non fuit aut tellus arida, cùm enim multas pro CHRISTO ſparſiſſet opes, & pia ſeminaſſet opera, nata ſunt merita & miracula.

NOTÆ.

1 R*ictrudi.*] Aquitanæ, ex Patre Ernoldo, & matre Lucia.

2 *Adebaldum.*] Principem, qui occiſus fuit à fratribus S. Rictrudis, quòd ijs inuitis, aut non conſentientibus, illam habuiſſet vxorem.

3 *S. Amandus.*] Epiſcopus Traiectinus.

4 *Maurontus.*] Gall. *Maurand*, qui ſiluis regijs præfectus, aut magnus Saltuarius fuit, & regi à ſanctioribus conſilijs. Poſtea verò Abbas Broilenſis.

5 *Martianen.*] Inter Duacum & Valencenas. Gall. *Marcenes.*

6 *Regem.*] Clodouæum II.

7 *Petitâ & impetratâ*, &c.] Exiſtimabat Rex maioribus poculis inuitare velle conuiuas. Ideo conceſſit facultatem faciendi, quod animo luberet.

E cœnobio in cœlos tranſijt, anno à partu Virginis circiter 700. ætatis ſuæ 74. die 12. Maij.

Ex Molano, & Gazeto.

S. GODOLÉVA
Nobilis coniugata.

1 AD portum Iccium nata eſt Godoleua, cuius elegans forma Bertulpho [2] Flandro flammas dedit, quibus nuptiales accendit faces, ſed lethales illi poſtea repoſuit aquas, cùm ſubmerſit. Ab initio enim coniugio, cùm pectoris & vultus Godoleuæ niues, nihil præter [3] glaciem Bertulpho genuiſſent, facile ad aquas ventum eſt, flante preſertim dæmone anu, aut [4] Bertulphi matre, rationes odij miniſtrante. Sed ante tam lugubrem Cataſtrophem plures habuit actus hæc ſcena: quorum primo, lucentibus amoris & nuptiarum facibus, Godoleuam duxit Bertulphus vxorem, familiæque quam ex priori

habuerat coniugio pręfecit. Secundo extinctis ignibus,& in tenebras coniectus, ab eius aberrauit toro, matríſque domum ſe recepit. Tertio, [5] vili mancipio tradidit vexandam,& quidquam, præter aridum panem ab eodē ſeruo, niſi pugnos ipſemet edere vellet, vetuit apponi. Quarto, Herum ſeruus audiit,ſed ratus ſolitarium dari [6] panem nobiliſſimæ fœminæ non decere, aliquid addidit, copioſas nempe & confertas iniurias, quas cum pane, ſtudioſo concoquens ſtomacho Godoleua, in alimentum vertit & augmentum virtutis. Quinto, tandem poſt cibum, potum dedit, at quo, ex lecto noctu detractam, ab duobus mācipiis ſubmergi iuſſit. Claudēdam ſic putarat ſcenam Bertulphus, cūm vxoris vita,ſed aliam,cum oculis cœcæ [7] Bertulphi filiæ, aperuit Godoleua; in qua pœnitens vxoricida ſibi ipſi

ipſi fudit aquas, quibus ſuum merſit ſcelus; & ſolitudinem quæſiit, vt inter feras homo viueret, qui inter homines fera vixiſſet.

NOTÆ.

1 *Portum Iccium.*] Gall. *Calais.*

2 *Flandro.*] Giſtellæ Dynaſtæ. Secundo, ab Oſtenda lapide.

3 *Glaciem.*] Quòd nimium caſta, & pudica eſſet.

4 *Bertulphi matre*, &c.] Quæ Godoleuam ferre non poterat, quod atri coloris haberet crines, & ſupercilia, vnde Corniculam vocitabat.

5 *Vili mancipio*, &c.] Ex conſilio ancillæ ſuæ, quâ vtebatur Bertulphus pellice.

6 *Panem*, &c.] Vt citò ex mœſtitiâ moreretur.

7 *Bertulphi filia.*] Quam ex priori ſuſceperat coniugio. In aqua enim in quâ amiſerat Godoleua, lucem & oculos reperit hæc puella.

Vixit anno, 1070. Viuere autem deſiit 6. Iulij.

Ex Drogone Monacho,
& Annal. Eccl. Belg.

S. GENOVEFA
Virgo priuata.

LILIVM damus [1] agri, cùm Genouefam pingimus, ex agro Pariſienſi Virginem, quæ obſcuris licet orta natalibus, adeo tamen claruit virtutibus, vt Pariſienſes habeat clientes, & ipſos Liliorum Reges. Inter oues Paternas, quas pauiſſe dicitur, [2] ſponſum accepit cœleſtem Agnum, [3] S. Germano Antiſſiodor. proxeneta, datâ in diuitem arrham cruce; in paupere numiſmate. Ex hoc temppore illa ſacro ardere ſponſo, & templis immorari. Cuius rei tædio affecta mater, filiam alapâ percuſſit: At quòd flammis obſtaret, lumen amiſit: Vnde quod non videret oculata, vidit [4] cœca, filiæ ſan-

ctitatem: Aquâ enim ab ea benedicta, tenebras ſuas eluit, & iras extinxit. Sub hoc tempus, cùm iratū Galliç ſceleribus cœlum, flagellum ſuum, Attilam in Gallias miſiſſet, pro regni capite fleuit ocellus, pro Pariſiis Genouefa, & pretioſas pro ſanguine ciuium, litans lacrymas, Numen exorauit. [5] Vinum, cœleſti muſto ebria; carnes carnis odio, quoad vixit, reſpuit. S.[6] Dionyſium Areopag. Galliæ Apoſtolum, vt oculus oculum, vt luna ſolem dilexit. Quod [7] fax cerea ab ea geſtata flammam conceperit, nihil mirum, ſubiectus fuit ignis, Genouefæ dextera. In eius [8] ſeceſſu ſacro quid ageret, cum videre aueret muliercula quædam, (quid addam curioſa?) minus vidit, quàm debuit quæ plus videre voluit, quàm debuit. Nam præter tenebras & ſcelus ſuum, cœca nihil vidit: quorum alterum, illa lacrymis;

alterum Genoueſa miraculo [9] abſterſit. Si quando cœlum aſpiceret, ſerenum licet, cõtinuò colliqueſcebat tota, ac pluebat; tantos enim ex viſo cœlo concipiebat ignes, vt illis capiendis cor vnum ſatis non eſſet, niſi aquas foras emitteret. His ardens ignibus, quid mirum ſi deuecto per agitatos Sequanæ fluctus, [10] frumento, Pariſienſibus ſuis fame penè enectis adfuerit, & clauſas [11] vrbis portas, ſolo tactu recluſerit, vt reis aliquot, fauces occluderet mortis? Aquas non timet, qui tantis æſtuat flammis; nec lignea facile patitur tam ſacer ignis repagula. Mirandum magis, quod eam ab orbe vltimo Stylites Simeon viderit, & per mercatores Gallos ſalutauerit. Tamen quid in eo tantopere miremur? Altus hic erat columna: altior illa virtutibus.

NOTÆ.

1 AGri.] In pago natam Nemetodoro (*Nanterre*) tertio ab vrbe Pariſienſi lapide; Ex patre Seuero,& matre Gerontia Chriſtianis ſed pauperibus, quorum oues pauiſſe dicitur Genouefa.

2 *Sponſum.*] Voto quidem ſeu propoſito;poſtea autem reipſa, Carnotenſi Epiſcopo ſacrum velum concedente.

3 *S.Germano*, &c.] Cum pergeret in Angliam contra Pelagium,ex eius aſpectu nouit gratias illi à Diuino Numine largiter infuſas.

4 *Cæca*,&c.] Annorum Duorum ſpatio.

5 *Vinum*, &c.] Nunquam adduci potuit vt vinum biberet, aut carnes ederet, etiam morbis conflictata, fabis & hordaceo pane victitans, ſaltem ad annum 50. ídque ſolum diebus Dominicis & Iouis:ab anno verò 50. ad reliquum vitæ tempus, piſcibus & lacticinio, ex Antiſtitis Præſcripto.

6 *S. Dionyſ.*] In cuius honorem vt templum ædificaretur author fuit, & multum contulit, miraculis.

7 *Fax*, &c.] Cum ad matutinas preces, ex vrbe Pariſienſi ad D. Dionyſij pergeret ante lucem, comitantibus multis virginibus, facem quæ præferebatur illis, vehementiſſimâ aurâ extinxit Dæmon, ſed extinctam accipiens Genouefa, ita accendit, vt extingui poſtea non potuerit.

8 *In eius ſeceſſu,* &c.] Ab Epiphaniâ ad diem Iouis hebdomadæ ſanctæ ſecedere ſolebat in Eremum, in quâ orationi, ieiuniis, & domandis incumbebat affectibus.

9 *Abſterſit.*] Poſt 40. dies.

10 *Frumento*] Pereuntibus fame Pariſienſibus vrbes adiit vicinas, & vndecim naues frumento onuſtas aduexit, quibus famem depulit.

11 *Vrbis portas.*] Quas occludi iuſſerat egreſſus rex Childericus, ne cui nihil negare poterat Genouefa (quam etſi ethnicus ſummè venerabatur) eum conueniret, & pro reis deprecaretur.

Obiit anno circiter 499. 3. Feb.

Ex Andr Du Val, Doct. Sorbon

SANCTVS IVSTVS Filius-familias.

IN Iuſto nobili puero [1] Antiſſiodorenſi ætatem præceſſit ſanctitas, & præcox virtus illo maturuit tempore, quo in aliis vix ſeritur, aut effloreſcit; Cùm adeo Iuſtus

& ſanctus fuerit, vt quo tempore vix alij vident præſentia, longè poſita viderit & futura. Nouennis enim puer, patruum ſuum furto ſublatum, & quē præſentem nunquam viderat, vidit abſentem, [2] Ambianorúmque Samarobrinæ, apud mercatorem, Lupum nomine, commorantem. Vt à Lupo hanc reciperet prædam, Ambianos cum patre profectus, quòd nimium caleret in via, & æſtu liqueſceret ſacro, veſtem poſuit, at in manibus nudi & pauperis, cui pro CHRISTO largitus eſt, charitate ſe ſperans tectum iri, omni purpura ſplendidiore. Vbi lupum vidit, vidit & quam quærebat ouem, quam recepit & abiit. Sed à lupo in canes incidit, Rictij Vari præſidis aut tyranni impios ſatellites, qui Chriſtianos ſubodorati, tamdiu abeuntes ſecuti ſunt, [3] quoad Iuſtum, (cuius prophetico ſpiritu præmoniti in vicinas

ſiluas diffugerãt cæteri) aſſecuti ſunt, & quòd Chriſtianum ſe profiteretur, ceruicem abſciderunt. At quia Iuſtus ſi ceciderit non collidetur, CADENS IVSTVS, non eſt colliſus, qui ſine ore & lingua locutus, carnifices ſuos, mortem à mortuo timentes, * in fugam vertit, & ſublatum ſuis ipſius manibus caput, patri obtulit, matri deferendum, vt haberet cui figeret oſcula, & quod ſolito appellaret vocabulo, CHARVM CAPVT.

A mille & trecentis annis Sanctus hic puer, à Bellouacenſibus colitur & in æuum coletur, adeo verum illud eſt Sapientis: *In memoria æterna erit* IVSTVS.

NOTÆ.

1 ANtiſſiodoren.] Gall. *d'Auxerre*, in Burgundiæ Ducatu.

2 *Ambianor. Samarob.*] Gall. *Amiens* in Picardiâ.

3 *Quoad Iuſtum*, &c.] Ex ſilua miſſus explorator in hoſtes, ab iis captus eſt, & occiſus.

4 *In fugam*, &c.] Vbi audierunt mortuum loquentem, exterriti diffugerunt.

5 *A Bellouacenſib.*] Qui ſacras habent reliquias ſanctiſſimi huius pueri, & Martyris.

Colitur die 18. Octobris.

Ex Vincentio Bellouacen. in Specul. Hiſt. l. 12. c. 143.

SANCTA MANNA Filia-familias.

IN Campaniam etiam noſtram, è cœlo cecidit Manna, à Iudaico diſcrepans epulo, quòd illud, ros præceſſit, illam eſt ſecutus, quo ab Epiſcopo Catalaunenſi aſperſa, omni caruit macula. Sed in eo conueniens, quòd ſuauis & mira fuit, & manhu de illa dici debuit. Primò enim genere mira fuit, quæ [1] fratres

duos Elophium & Eucharium Martyres, & [2] ſorores quatuor ſanctitate illuſtres habuit, quibus ſeptima non deceſſit, germanior animo quàm ſanguine. Nam ſpretis quibus parabatur nuptiis præſtāti forma puella, ad [3] Catalaunenſem acceſſit Epiſcopum, ſacris tum operantem, vt quam deperibant proci formam, eo abſconderet, quod offerebat, velo. Sed abnuente Antiſtite, ne Dactium eius lęderet parentem, tantò audentior, quantò mortali ſuperior [4] Angelus fecit, qui ſublatum in auras velum, ſummo & æterno Pontifici benedicendum obtulit, & Mannæ capiti ſpectantibus omnibus, ſenſim delapſum impoſuit. Paucis poſt hæc diebus, prædiues & nobilis adfuit procus, cui ad matrimonium ineundum à Mannæ parentibus dictus fuerat dies, ſed ſabbatum fuit, Manna legi non potuit. Ex eo enim

tempore Mannæ perpetuum fuit ſabbatum, quo Diuinum coluit numen, & à[4] nemine legi potuit, vna excepta morte; à qua in vrna (quam Gomor potuit dicere) fuit recondita, anno circiter 380. Si iamdudum ad[5] portum Suauem, cœleſtem & terreſtrem, nauem ſuam appulit, & in vtroque, hinc animo, hinc corpore quieſcit, bene vſa eſt velo, & Mannæ congruum adepta eſt locum, cùm portum tenuit Suauem.

NOTÆ.

1 F*Ratres*, &c.] Martyrium paſſos ſub Iuliano Apoſtata, anno 379. Coluntur in diœceſi Tullenſi.

2 *Sorores.*] SS. Libariam, Gertrudem, Suſannam, & Odam, quarum tres coluntur in diœceſi Tull. in Campaniâ duæ.

3 *Catalaun.*] Catalauni ſacro fonte lota, & educata fuerat.

4 *Angelus.*] Epiſcopus hoc viſo miraculo, conſuetas perfecit cæremonias, & benedixit Mannæ.

5 *Portum Suauem.*] Gall. *Port Suaue*, vel *Portſus.* non longè à Mirecurio Voſagiæ oppido. Incolæ vocant *Pouſſay.* Eò tranſlatum fuit Mannæ corpus, 15. Maij. 1016. à Brunone Epiſcopo Tullenſi, huius Monaſterij fundatore (qui poſtea fuit S. Leo IX. Pont. Max.) *Ruyr. l. 1. 3. part. antiquit. ſacr. Voſag. ex Rupert. Surio, MS. codicib. Liberodunenſ. Eccl. & Portus Suauis.*

Ex Annal. Eccl. Catalaun. & antiq. ſacris Voſag.

S. ADRIANVS *Seruus.*

A Regno cœlorum ſeruos non excludit, qui ſerui formam accepit; ſi modò cùm hominibus famulantur, ſeruiant & Deo. Imò ſæpe ſæpius, pedibus Cœlos petunt ſerui, dum heri equis aut curribus in Tartarum currunt, & dæmonũ fiunt mancipia, dum mancipia fiunt Cœlo-

tum Domini. Adrianus in eo fuit numero, licet in altero non fuerit herus. Sancti [1] Landoaldi fuit Seruus, cuius veſtigiis ita ſemper inſtitit, vt ſecutus fuerit ad ſanctitatem, & præceſſerit in cœlum. A [2] Chilperico rege, qui tum Traiecti commorabatur, ad Sanctum Landoaldum, S. Amandi in Tungrenſi Diœceſi pro-Epiſcopum, deferebat litteras, vt ſolebat, cùm de via in latrones incidit, à quibus, quòd multo grauis ære, aut auro putaretur, immaniter [3] trucidatur. O ſi, qua diues erat, inueniſſent gratiam, quantum nacti fuiſſent theſaurum! Sed cum nullus in eo emicuiſſet optati æris ſplendor, multa ſanctitas ad eius ſepulchrum cum feſtis ignibus reſplenduit, dum libertate donatus filiorum Dei, qui modo erat ſeruus, Martyrij ſui ad cœlites iuit nuntius; inter quos ſi iam ſedet purpurâ illuſtris, nobilis eſt ſan-

guine ; quem enim non potuit naſcentem , illum ſuus morientem nobilitauit ſanguis.

NOTÆ.

1 L*Andoaldi.*] Rom. Eccl. Archipreſbyteri,& pro-Epiſcopi S.Amandi Epiſcopi Tungrenſis, 9.annorum ſpatio. Hunc autem ei dederat Martinus primus Pontifex Max. cum Romam veniens Pontifici declaraſſet ſe vnum non ſatis eſſe,ad copioſiſſimam meſſem in Chriſti horreum inferendam.

2 *Chilperico.*] Scribit Notgerus Leodienſis Epiſcopus Chilpericum miſiſſe quotidie ſumptus ad vitam neceſſarios ſancto Landoaldo.

3 *Trucidatur.*] In loco , qui Villare dicitur, anno circiter. 646.

Colitur Gandaui 19. Martij.

Ex Notgero Epiſc. Leod. in vita S. Landoaldi.

S. [1] SERENVS
Seruus.

QVI Serenum.[2] quinque ſolidis aut aureis nummis emit Dux Boſo, vili pretio ſibi cõparauit virtutum omnium theſaurum. Quonam enim alio donabis nomine eum, qui virtutes & ſanctitatem in fortunato infortunio nactus, à ſeruitute abire noluit nobilis, ne diſcederet à virtutibus? Licet diu quæſitum & tandem iuuentũ mater chariſſima & nobiliſſima profuſis vrgeret lacrymis vt ſoluto rediret pretio; domeſticis alliceret opibus, & honorato in ſuos dominio. Quid, inquam, niſi theſaurus, ille ſit, qui paſcẽdo pecori[3], ſponte addictus, vt paſceret animum; & in agris liberiùs ſecreta cor-

dis aperiret CHRISTO, ſæpe feris ipſis, vices ſuas, & gregis cuſtodiam commiſit, quo tempore [4] clam litteras diſceret in Aſceterio vicino, vt virtutes noſceret? Cuius rei apud herum [5] inſimulatus, & minuti pecoris, ipſummet pro ſe teſtem aut patronum, adhibuit gregem, non ſanum modò, ſed & multis auctum partibus; calumniáſque omnes toto fonte purgauit, quem Boſoni ſitienti iuſſit ſcaturire: in his aquis innocentiam Sereni conſpicatus herus, & maiori Domino ſeruire; illi ſoli ſeruiendi facultatem fecit, agrúmque addidit, in quò illum ac virtutes coleret: quas cùm multas collegiſſet, [6] Romam ſecum peregrinus detulit, earúmque gratia, Sacerdotium, Sanctorúmq; M.M. Fabiani & Sebaſtiani retulit exuuias [7] à Summo Pontifice (Deo ita iubente) conceſſas. Hoc theſauro diues, maiori

quàm

quàm antea exarſit pietate, quoad illa magis, quam ardenti febre, qua vltimò laborauit, decoctus, redactus eſt in cineres, qui tantos pietatis ignes [8]Berthæ piiſſimæ reginæ, Carolomanno & Pipino eius liberis, aliiſq; Principibus dederũt, vt ab eo magis quàm ab eminentiſſima ſua dignitate Sereniſſimi dici poſſint.

N O T Æ.

1 S*Erenus.*] Patrem habuit Adrianum, Matrem Serenam nobiles Metenſes.

2 *Quinque ſolidis.*] Bello captus, quod Auſtraſianis rebellibus intulerat Dagobertus, Væniit 5. ſolidis, & factus eſt mancipium Bozonis Ducis.

3 *Sponte addictus.*] Enixè precatus eſt herum, (qui eum propter virtutes ſuas; amicum habere volebat non ſeruum) vt gregis ſibi curam committeret, quò procul ab hominum turba, & vitiorum contagio, in mentis puritate Deo ſeruiret.

4 *Clam litteras*, &c.] Adiunxit ſe filio Comitis, ſtudiorum cauſſâ vicinum monaſterium adeunti.

5 *Inſimulatus.*] Poſt tres annos, à ſuis inuidis.

6 *Romam*, &c. Vbi manſit ad 7. annos.
7 *A Summo Pontif.* Ioanne IV.
8 *Berthæ*, &c.] Quæ ad eius ſepulchrum acceſſit, locus autem in quo ſepultus eſt, dicitur Cœnobium S.Sereni de Catumerula, vbi 2. Octob. feſtum habet diem.

Ex M.S. apud Script. Gall. & ex Martyrolog. Gall. Corollario.

S. BLANDINA Ancilla.

CLAVDET hic pium agmen, quæ Lugduni clauſit olim cruentam Scenam. Sub Marco Aurelio Antonino educti è carceribus, ſolenni Nundinarum die (quo nimirum pretioſiſſimæ merces minimè abſcondi debuerant.) [1] Chriſtianorum quàmplurimi, exquiſitis à Romano præſide addicti fuere tormen-

tis; atque inter primos, quæ vltima videbatur conditione Blandina.[1] Hæc ſuo ancillæ functa munere, heram ſecuta eſt, & in carcerem, & tandem in cœlum, per media ſupplicia: ad quæ [2] ſi parum corporis, multùm attulit animi, quo fortiter pateretur, & affticta Chriſtianis [3] crimina negaret conſtanter. His verbis; *Chriſtiani ſumus talia non admittimus*: Sæpe [4] recreata, vires omnium exhauſit carnificum: qui vices ſuas feris committentes, Blandinam in medium proiecerunt [5] Amphitheatrum, vbi feræ humanitatem induerunt, quam exuerãt homines, vt induerent feras. Oſcula enim eius dederunt pedibus, quibus homines inflixerant vulnera. Quare in carcerem reducta, & è carcere iterum producta in Amphitheatrum, medios inter animi dolores genuit filium cœlo, obſtetrice gratiâ, quem

quindecim antè annis genuerat mundo: Illa enim adhortante, generoſo pectore mortem excepit, quo vitam promeritus eſt æternam. Hinc ſola relicta in theatro Blandina, quòd vna ſat magnum eſſet ſpectaculum, & nobili induta purpura, ſuo videlicet ſanguine, quem etſi vilem dederant natales, vulnera pro CHRISTO accepta nobilitarunt, in ardentem coniicitur craticulam, quæ in ea nihil accendit præter orationem. Tandem [6] Tauro tradita, vt eius cornibus pilæ in modum agitaretur, vbi colludentem ſenſit taurum, riſit, ſed eo riſu efferatus præſes, qui Minos, ſeu Iudex, eſſe debuerat, factus eſt taurus, aut ſi vis Minotaurus, cùm [7] capite hanc minuit Ariadnem. At licet caruerit capite, non defuit tamen locus coronæ.

NOTÆ.

1 *CHriſtianorum quamplurimi.*] Præcipuè S.Photinus, Epagathus, Maturus, Attalus, Biblis, Blandina, Ponticus eius filius, &c.

2 *Parum corporis.*] Debili & infirmo erat corpore, & ideo ab hera & Chriſtianis de illa timebatur, tamen Deus eam elegit infirmam, vt confunderet fortia.

3 *Crimina,* &c.] Accuſati per calumniam Chriſtiani ab Ethnicis, quòd carnem comederent humanam, in ſacrificijs ſuis, & aliorum multorum criminum.

4 *Recreata.*] Ex his verbis, vires ſibi addi ſentiebat.

5 *Amphitheat.*] Cruci affixa eſt in Amphitheatro, vt voraretur à beſtijs.

6 *Tauro.*] Reti incluſa traditur Tauro agitanda.

7 *Capite,* &c.] Quod iuſſit abſcindi.

Paſſa eſt circa annum 179. die 2. Iunij.

Ex Hiſt. Eccl. Euſeb. Cæſarien. lib. 5. cap. 1. & 2.

FINIS.

Errata ſic Corrige.

PAg.2. lin.1.& 2. pro *conceſſ:ſit*,leg.*conceſſit*. pag.5. n. 10, lege *Vizonem*. pag.11.lin.vlt. lege *Tam*. pag.22.l 2.lege *Ligniacenſi*. pag.31.n. 8. leg. *Cœleſti*. pag.39.n.5.lege *Cheles*. pag.45.l.vlt.lege *veſtiit*. pag.64.n.1. lege *Virdunenſis*. Ibid. n. 9. lege *Meyrum* pag.79. n.3. lege *partes*. pag.90, n.12.lege *internecione*. pag.102.n.11.lege *precibus*.pag.111. n.8.lege *veniam*. pag.120.n.4.lege *negantes*. pag.133.lig.5. lege *Catechumeno*. pag.134.l.13. lege *putem*.pagin.138.l.2. lege *læſaque*. Ibidem num. 1. lege *diœceſi*. & *Sion*. pagina 161 l.6. lege *altiſsime*. pag,165. n.6. lege *Traiectenſes*. pag.170.l.14.lege *mortuus*. pag.177.l.8.lege *Nineus*. pagina 183.n.12. lege *ſigrandæ*. pag 184. n.4. lege *Deodatopoli*. pag.192.n. 10.lege *præſentia*. pag.208. lege *redditus*. pagin.209. n.7.lege *tibialibus*. pag.214.l.10. I.pro *id eſt*.pag. 215.l.2.lege *Eremita*. pag. 216.l.9.poſt *inter* adde *&*. pag. 220.n.1. lege *frabilia*. ibid. n. 2. lege *Prunino*. pag. 222. l.5 .leg *nummos*.pag.223.n.5.*Quia*.pag.227.l.16. leg.*ludricra*. pag.229.l.18.lege *quos*. pag.236.l.20.lege *Chriſti*.pag. 240.l.12.lege *ingemuit*. pag.247.n 7.lege *agenti*. pag.251, n.3.legé *Pighio*. pag.254,l.7.lege *A claide*. Ibid. l.11.*ſorte*. pag.258,l.4.lege *exuunt*. pag.259.l.9.& 10. lege *renes*. pag.260.n.1.lege *Phocenſis*. Ibid.n.2. lege *Rhetorica*. pag. 267.l.2.*Belgicis*. pag.272 ,l.7.lege *Grantzio*. pag.279.n.4. lege *Richardim*. pag.286. l.7. lege *vrſo*. pag.287.n.3.poſt *huius nominis*, adde III. pag.290.l.2. lege *indicio*. pag. 298.n.5.lege *aduexit*. pag.300. l.5. lege *ordine*. pag.307. lin.vlt.poſt *miraculo*,adde *ſatis*. pag.310.n.1. deeſt *&* ante *Blanca*.pag.316.l.14. lege *Pontifice*. pag.322.l.7.leg.*Sabrani*. pag.330.l.9.lege *Aquæ-pendẽtis*.pag.332.l.8.leg.*nænia*. pag.343.l.10.lege *Quercetanum*. pag.355. n.2. lege *Rictrudem*. pag 360.l.9.lege *ſacra*. pag.362.l.8.lege *Eugenium*. pag.368.l.15.lege *redditus*. pag.369.l.3.lege *pro*. pag.376. l.2. lege *qui*. Ibidem lin.14. lege *& è luce*. pagin,382l.18. lege *numerandum*. pag.394 l.14.lege *aduexerat*. pag.402, l.vlt.lege *viderat*. pag.405.n 3.lege *hordeaceo*.

INDEX NOMINVM ordine Alphabetico.

A.

ADelardus, *Abbas.* 140
Aderaldus, *Canonicus.* 155
Adrianus, *Seruus.* 412
Agnes, *Præmonſtrat.* 253
Agnes, *Auguſta.* 280
Albinus, *Epiſcopus.* 58
Aldegondis, *Virgo Benedict.* 193
Aldricus, *Epiſc.* 54
Amandus, *Epiſc.* 61
Antoninus, *Eremit. Auguſtin.* 185
Arnulphus, *Miles.* 370
Arator, *Epiſc.* 51
Auentinus, *Eremita.* 215
Auctor, *Epiſc.* 65
Auſtreberta, *Virgo Benedict.* 196.

B.

BAltidis, *Regina.* 2[illegible]
Benedictus, *Pont. Max.* 11

Benignus, *Sacerdos.* 165
Benardus, *Abbas.* 150
Blandina, *Ancilla.* 418
Bonitus, *Epiſc.* 68
Bruno, *Carthuſian.* 199

C.

Carolus Magnus, *Rex & Imp.* 261
Carolus Craſſus, *Rex & Imp.* 276
Clarus, *Abbas.* 147
Clemens, *Epiſc.* 72
Columba, *Virgo nobilis.* 333.

D.

Dionyſius, *Primas Gall. & Apoſtolus.* 27.

E.

Eucherius, *Lugdun. Primas Gall.* 33
Eucherius, *Epiſc.* 77
Elzearus, *Comes.* 321
Euerardus, *Dux.* 314.

F.

Franciſcus Paulanus, *Minimus.* 244.

G.

GEneſius, *Primas Gall.* 36
Geneſius, *Scriba.* 389
Gengulphus, *Polemarcha.* 358
Genoueſa, *Virgo priuata.* 402
Gerlacus, *Tribunus militum.* 362
Geremarus, *Conſiliarius Regius.* 347
Germanus, *Antiſſiodor. Epiſc.* 86
Germanus, *Epiſc. Pariſienſis.* 81
Goarius, *Sacerdos.* 172
Godoleua, *Nobilis coniugata.* 399
Goerricus, *Epiſc.* 91
Gregorius, *Præſes.* 378
Gudila, *Princeps Fœmina.* 311
Guilelmus, *Bituricenſis Primas.* 43
Guilelmus, *Guilelmitarum auctor.* 235
Guilelmus, *Auguſt. Canonicus.* 176.

H.

HIlarius, *Epiſc.* 99
Hugo, *Epiſc.* 95
Hugo, *Benedictin.* 189.

I.

IGnatius, *Ieſuita.* 239
Ioannes Soretius, *Carmelita.* 202
Ioannes de Matta, *Trinitarius.* 256
Ioanna Francica, *Regina.* 299
Ioanna Britannica, *Comes.* 325
Iſabella, *Princeps.* 307
Itta, *Dux.* 318
Iuo, *Patronus.* 384
Iuſtus, *Filius-familias.* 406

L.

LAunomarus, *Eremita.* 221
Leo, *Pont. Max.* 1
Leodegarius, *Canonicus.* 160
Liphardus, *Index.* 381
Lotharius, *Rex & Imp.* 273
Lucianus, *Sacerdos.* 169
Ludouicus, *Rex.* 291
Ludouicus Pius, *Rex & Imp.* 268
Ludouicus, *Franciſcanus.* 227
Lupus, *Epiſc.* 103

M.

MAnna, *Filia-familias.* 409
Martinus, *Pont. Max.* 6
Maurontus, *Magnus Saltuarius.* 353
Memmius, *Epiſc.* 105.

N.

Norbertus, *Præmonſtratenſis.* 248.

O.

ODilo, *Abbas.* 140
Odulphus, *Sacerdos Parochus.* 162
Othilia, *Auguſt. Canonica.* 181

P.

PAtiens, *Epiſc.* 112
Paulus, *Epiſc.* 114
Petrus Thomas, *Patriarcha.* 23
Petrus Luxemb. *Cardinal.* 18
Philippa, *Pediſſequa.* 337
Pipinus, *Maior-domus.* 340
Præiectus, *Epiſc.* 109
Proſper, *Epiſc.* 118
Pulchronius, *Epiſc.* 121.

R.

RAdo, *Præfectus ærario.*	350
Reginaldus, *Dominicanus.*	210
Remigius, *Archiepiſc.*	46
Rictrudis, *Mater-familias.*	396
Richardis, *Auguſta.*	284
Robertus, *Fontis Ebraldi Fundator.*	224
Robertus, *Ciſterc. Ord. Fundator.*	207
Rochus, *Vir nobilis.*	329
Romanus, *Cancellarius.*	374
Romaricus, *Princeps.*	303.

S.

SEbaſtianus, *Dux cohortis.*	365
Serenus, *Seruus.*	415
Seuerinus, *Abbas.*	136
Sidonius, *Epiſc.*	125
Sigebertus, *Rex.*	284
Stephanus, *Grandimontan.*	272
Sulpitius, *Primas Aquitan.*	40.

T.

Theobaldus, *Eremita.*	218.

V.

VAndregeſilus, *Comes-ſtabuli.* 343
Vedaſtus, *Epiſc.* 139
Vincentius, *Pater-familias.* 393
Vitonus, *Epiſcopus.* 132.

FINIS.

Facultas R. P. Prouincialis Societatis IESV.

EGo *Bartholomæus Iacquinotius Prouincialis Prouinciæ Cãpaniæ Soc.* IESV. *Iuxta Priuilegium eidẽ Societati à Regibus Chriſtianiſsimis Henrico III. 10. May 1583. Henrico IV 20. Decembr. 1606. & Ludouico XIII. nunc regnante, 14. Februarij 1611. conceſſum, quo Bibliopolis omnibus prohibetur, ne Libros ab hominibus noſtræ Societatis compoſitos abſque Superiorum eius permiſsione imprimant. Permitto* PETRO PALLIOT *Bibliopolæ Diuionenſi vt ad annos ſeptem Librum* Lilia, ſeu Flores Galliæ Sanctæ, *inſcriptum à* P. Iacobo Rinaldo *eiuſdem Societatis compoſitum imprimere, ac liberè diuendere poſsit. In quorum fidem has literas manu noſtrâ ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus. Diuione 24. Nouembris 1642.*

BARTHOLOMÆVS IACQVINOTIVS.

Extrait du Priuilege du Roy.

PAr grace & Priuilege du Roy: Il eſt permis à PIERRE PALLIOT Imprimeur du Roy, Libraire & Graueur à Dijon, d'imprimer vn Liure intitulé *Lilia, ſeu Flores Galliæ Sanctæ, authore R. P. Iacobo Rinaldo Societatis IESV*: Auec deffences à tous Imprimeurs & Libraires, & autres perſonnes de quelques conditions qu'elles ſoient, d'imprimer ou faire imprimer, vendre & diſtribuer ledit Liure en aucun lieu de ce Royaume & terres de l'obeiſſance de ſa Maieſté, ſous pretexte d'augmentation, correction ou changement, ny meſme en extraire aucune piece, d'en contrefaire le titre, ny ſuſciter aucun eſtranger de ce faire, pendant le temps & eſpace de ſept ans, à compter du iour & datte que ledit Liure ſera acheué d'imprimer, ſur peine de quinze cens liures d'amende, & confiſcation des exemplaires, comme il eſt porté par les Lettres données à Paris le vingt-troiſieſme Ianuier mil ſix cens quarente trois.

Par le Roy en ſon Conſeil,

LE BRVN.

Acheué d'imprimer pour la premiere fois le quinzieſme Feurier M. DC. XLIII.

DIVIONE,
Ex Typographia PETRI PALLIOT
Typographi Regij, Bibliopolæ &
Calcographi, ſub ſigno Re-
ginæ Pacis ante Palatium.

M. DC. XLIII.

A01 1469 862